
Lat.

Hirk

DISSERTATIO
DE
ANTIQVA PRUSSORUM REPUBLICA.

A primis ejus incunabulis usque ad An. M. D. XXV, quo Albertus Marchio Brandeburgicus, positis Ordinis Teutonici insignibus, habitu & nomine, Prussiam titulo Ducis obtinuit.

Consensu Amplissimæ Facultatis Philosophicæ In Illustri Albertina

Sub PRÆSIDIO

M. CHRISTOPHORI Hartknochen/
Passenheimensis Prussi,

Publico Eruditorum examini exposita

Ab

HENRICO FRIDERICO à RIPPEN
Nobili Prusso.

Ad diem Febr,
An. M.DC.LXXVI.
horis locoq; solitis.

REGIOMONTI, Ex Typograph. Reichiana.



GENEROSO & MAXIME STRENUO
DOMINO,

D. HENRICO à RIPPEN,

Hereditario, Domino in Perckau
&c. &c.

Patruo ſuo omni obſervantiæ cultu ætatem
proſequendo

D. D. D.

HENR. FRID. à RIPPEN.



I.

ANtiquam Prussiæ Rempubl. paucis illustraturi, ut eò distinctius progrediamur, ad quatuor migrationes jam alibi à nobis enumeratas respiciamus necesse est, cum variantibus populis variarit & ipsa Reipublicæ forma. Inter illas migrationes prima fuit migratio *Venedarum* sive *Venedorum* (utrumq; enim occurrit apud Scriptores antiquos) qui aliàs dicti sunt *Slavi*: Secunda *Gothorum*, qui fuerunt *Germani*: Tertia *Lithvanorum*: Quarta iterum *Germanorum* sub Ordine Teutonico. Fuerunt quidem plures forsan migrationes huc in Prussiam susceptæ, illæ tamen quas modò enumeravimus fuerunt præcipuæ, quæ gentem in Prussia repertam in suam linguam & mores traxerunt; licet negari non possit, succedentes etiam populos aliquando non pauca traxisse ex moribus populi præcedentis. *Venedi* regionem hanc habuerunt antè Christi nati tempora, eorumque populi fuerunt Galindæ, Sudeni, Stavani. Vid. Ptolem. lib. III. Geogr. cap. V. fol. 81. seq. *Gothi* itidem antè Christum natum huc sunt ingressi, & tenuerunt partem tantum septentrionalem sive maritimam, Venedis adhuc ipsorum tempore partem habitantibus Australem. Hos Gothos etiam post Christum natum hic habitantes Tacitus alijque sub nomine Æstiorum describunt. *Lithvani* quo tempore Prussiam intrarint non una est Authorum sententia. Alij hoc referunt ad tempora Valentiniani I. Imp. ut Erasmus Stella lib. II. Antiq. Boruss. & Albertus Wijuk Kojalowicz

Part. 1 Hist. Lithv. lib. 1. pag. 10. seq. Alij hoc referunt ad initium Sec. VI. ut Alexander Gvagvinus in Descrip.t Prussiæ. Nos etiam serius hanc migrationem contigisse cr-t dimus. Nam Sec. VI. Theodoricus Rex Gothorum in Italie adhuc Hæstis sive Æstijs gratias agit pro succino è Prussia sibi misso, apud Cassiodorum lib. V. Variarum. epist. 2. Jorâ nandes etiam ejusdem VI. Seculi Scriptor Orientalem V-- stulæ ripam (forsan etiam in Prussiæ nostræ parte Occiden.i tali) Venedos sive Slavos accoluisse testatur lib. de Reb- Geticis. Tandem *Ordo Teutonicus* accersitus est in Prussiam à Conrado Masoviæ Duce, Lesci Albi Ducis Poloniæ fra- tre, Sec. XIII. Anno 1226. sub Hermanno à Salza quarto Ordinis Teutonici Magistro.

II. De primis autem populis, nempè Venedis & Gothis pauca tantum dicemus, cum obscuræ sint gentium illarum res gestæ, & pauca, imò ferè nulla jam reperiantur earum gentium apud nos vestigia. VENEDOS inter *Scythas* esse numerandos vix dubitari potest. *Scythas* verò in genere sic describit Epitomator Trogi Justinus: *Nec domus illis ulla, aut tectum, aut sedes est, armenta & pecora semper pa- scentibus, & per incultas solitudines errare solitis. Vxores liberosq́ secum in plaustris vehunt: quibus corijs imbrium hyemisq́ causa tectis pro domibus utuntur. Justitia gentis ingenijs culta, non legibus. Nullum scelus apud eos furto gravius -- Aurum & argentum non perindè ac reliqui mor- tales appetunt: Lacte ac melle vescuntur. Lanæ ijs usus ac vestium ignotus, & quanquam continuis frigoribus uran- tur, pellibus tamen ferinis aut murinis utuntur.* Hæc Justi- nus lib. II. Hist. cap. II. Conf. Herodot. lib. IV. Diodor. Si- cul. lib. II. Strabo VI. Mela II. cap. 1. In specie verò de *Venedis* Scythicis gentibus antea Sinum Venedicum i. e.

marc

mare Balticum accolentibus, an ſint ad Germanos, an verò ad Sarmatas ſive Slavos referendi, dubitabat Tacitus. Non autem hac de re eapropter dubitabat, ac ſi negare voluerit, hos populos originem ſuam debere Sarmatis (hoc enim ipſum conceſſurum fuiſſe puto) ſed quia mores Venedorum à Germanorum moribus ob vicinitatem non multum diſſimiles eſſe videbat. Ideò de illis dicit: *Peucinorum, Venedorumq́, & Fennorum Nationes Germanis an Sarmatis adſcribam dubito: Venedi multum ex moribus* (Germanorum) *traxerunt. Nam quicquid inter Peucinos Fennosq́, Sylvarum & montium erigitur latrociniis pererrant. Hi tamen inter Germanos potius referuntur, quia & domos figunt & ſcuta geſtant, & pedum uſu ac pernicitate gaudent, quæ omnia diverſa Sarmatis ſunt in plauſtro equoq́, viventibus.* Lib. de Morib. German. cap. XLVI. Ex his itaque cognoſcimus Venedos noſtros cæteris Sarmatis humanam Societatem magis amaſſe, & ad Rempubl. conſtituendam fuiſſe magis idoneos Qualis autem inter ipſos obtinuerit Respubl. ex allegatis Taciti verbis nondum diſtinctè colligitur. Propius ad propoſitum noſtrum faciunt ea quæ de Slavis Viſtulæ ripam orientalem tunc accolentibus i. e. de Venedis tradidit Seculi VI. Scriptor Procopius: *Antarum,* ait ille, *Sclavinorumq́, Nationes non ab homine aliquo uno reguntur: Sed AB ANTIQVO plebeja communiq́, libertate vivunt, & idcirco res omnes, quæ vel utiles ſint vel fortè difficiles in commune Conſilium deducuntur.* lib. III. de Bello Goth. cap. VII. p. 542. Imò cum Slavi Viſtulam transgreſſi multas Germanorum ditiones occupaſſent, nihilominus quidam ipſorum priſtinam retinuerunt Reipubl. formam. De Lutitiis Slavicis populis Dithmarus Mersburgenſis Sec. XI. *Illis,* inquit, *Dominus ſpecialiter non præſidet*

 ullus.

ullus. Vnanimi Consilio ad placitum suimet, necessaria discutientes, in rebus efficiendis omnes concordant. Lib. VI. Hist. pag. 136. Imò & aliæ Slavicæ sive Venedicæ gentes, licet Vistulam transmittentes sibi Ducem migrationis elegerint, postea tamen aliquoties ad pristinam aliquo modo aspirasse libertatem leguntur, ut constat ex Historia Polonorum, qui defuncto Lecho statim sibi duodecim crearunt Palatinos, quod etiam factum est, postquam Venda Virgo seipsam in Vistulam amnem præcipitasset. Constat itaque Venedos Veteres Statum Reipubl. Popularem habuisse.

III. De GOTHORUM tunc temporis hodiernam Pomeraniæ partem habitantium Republ. sic scribit Tacitus: *Trans Lygios Gothones regnantur, paulò jam addictius, quam cæteræ Germanorum gentes, nondum tamen supra libertatem. Protinus deindè ab Oceano Rugij & Lemovij. omniumq́ harum gentium insigne, rotunda scuta, breves gladij, & erga Reges obsequium.* De moribus Germ. cap. XLIII. Æstios autem (i. e. Gothos jam antiquioribus temporibus in Prussiam ex Pomerania transgressos) sic describit: *Dextro Svevici maris littore Æstiorum gentes alluuntur, quibus ritus habitusq́ Svevorum, lingua Britannicæ propior, matrem Deum venerantur: Insigne superstitionis formas Aprorum gestant. Id pro armis omniumq́ tutela securum Deæ cultorem etiam inter hostes præstat. Rarus ferri, frequens fustium usus. Frumenta cæterosq́ fructus patientius quam pro solita Germanorum inertia laborant. Sed & mare scrutantur, & soli omnium hominum succinum, quod ipsi Glesum nominant, inter vada atq́ in ipso litore legunt.* Ibid. cap. XLV. Ex his quidem non apparet, an Æstij cum Gothis ijdem fuerint, alia tamen multa sunt, quæ hoc nobis planè persvadent. Inter alia & conformitas Religionis Lithvano-

vanorum in Prussia postea habitantium cum Religione Gothorum, quam sine dubio à Gothis & Æstijs didicerunt. Quodsi autem Æstij ijdem sunt cum Gothis, non est etiam dubium, quin illi eandem Reipubl. formam habuerint. Nempè verisimile est illos initio Regulos suos habuisse, quorum tamen non infinita, sed limitata fuit in suos potestas. Postea dicuntur (forsan cum suis Regulis) ab alijs Gothis in hodierna Svedia habitantibus subacti esse. Vid. Hugo Grotius in Prolegomen. ad Hist. Gothicam, & Vandalicam Procopii aliorumque. Seculo post Nat. Chr. VI. miserunt Æstij ad Theodoricum Regem Gothorum Legatos in Italiam, ex qua Legatione tamen colligi non potest, an habuerint Regem suum, vel etiam plures. Hæstis enim tantum inscribitur epistola Theodorici supra allegata. Erasmus tamen Stella illos dicit habuisse Regulos suos in Sudinia usque ad tempora migrationis Lithvanicæ. Lib. 1. Antiq. Boruss. in fin. Sed de his ut obscuris & incertis multa verba facere non attinet. Vid. Olaus Magnus in Hist. Gentium Septentrion. Johannes Magnus in Præfat. ad Hist. Gothorum Sveonumque. Joh. Loccenius in Antiq. Sveo-Gothicis.

IV. Quod tertio loco LITHVANOS concernit, illi ab initio populari libertate usi sunt, sed crescentibus inter Lithvanos, veteresque Prussiæ incolas odijs, commodissimum est visum, ut ad unum devolverent Imperium. Reges itaque sibi elegisse dicuntur, nempe *Brutenum* & *Weidewutum*. Widewutus postea decrepitâ jam ætate Prussiam in 12 Ducatus inter filios dicitur divisisse. Nos utut non negaverimus habuisse initiò Populos ex Lithvania huc accedentes Ducem aliquem migrationis suæ, illa tamen, quæ postea de Widewuto & Bruteno traduntur, aniles redolent fabulas. Vid.

 Erasm.

Erasm. Stella in Antiq. Boruss. & Albert. Wijuk Kojalowicz Part. 1. Hist. Lithv. lib. 1. qui fusè Rempubl. Prussicam ejus temporis describunt. Certum est subsequentibus temporibus Prussos nullum habuisse Regem vel Principem, qui toti Prussiæ vel etiam præcipuæ ejus parti præesset. Testatur illud Sec. XI. Adamus Bremensis, qui de Prussis verba faciens: *Homines*, inquit, *cærulei, facie rubeâ & criniti, præterea inaccessi paludibus, nullum inter se Dominum pati volunt.* lib. de Situ Daniæ pag. 147. Tres autem Ordines hominum in Prussia id temporis fuisse comperimus. *Primus Ordo* fuit *Principum* Prutenorum. Fuisse autem in Prussia Principes non paucos, cum Ordinis Teutonici milites Prussiam infestare cœpissent, testantur passim Rerum Prussicarum Scriptores; licet illi Principes non alii fuerint, quam Nobilium potentiores, qui plures subditos, extantioresque sub imperio suo habuerunt vicos. Ejusmodi Princeps fuit Hagel ille, qui tractum propè urbem Dantiscanam possedisse dicitur. Vid. Casp. Schüz lib. 1. Chron. Pruss. fol. 6. Principis etiam alterius cujusdam Samlandis confœderati mentio fit apud Schüzium lib. 1. fol. 30. Ex eodem Ordine fuit *Gellens* Princeps, cujus sedes à Cruciferis solo æquata, postea ab iisdem reædificata, dictaque est Gellensburg & tandem Gilgenburg. Schüz lib. 1. fol. 38. Soladimistarum quoque Principis meminit Vincentius Kadlubko lib. IV. Chron. Polon. cap. XIX. Præsertim autem in Sudinia ad mare Balticum fuisse plures Principes legimus apud Schüzium, quales fuerunt Wadole, Candigendam, Scurdo. Schüz. lib. 1. fol. 41. & 42. Hos Sudinos Erasmus Stella tum fuisse αὐτόχθονας i. e. non advenas cum cæteris Lithvanis, sed adhuc ex gente Scandinavica oriundos eosque Regulos sive Principes suos habuisse refert. lib. 1. Antiq.

tiq.

tiq. Boruff. in fin. Conf. & Hennebergerus in Tract. de Veteri Prussia pag. 18. *Secundus Ordo* in Prussia fuit Ordo *Nobilium*, qui dicebantur *Supani* Henneberg. l c. quo nomine & Poloni suos olim appellabant Nobiles; ut patet ex Chronico Montis Sereni à Madero edito ad An. 1209. pag. 86. Nobilitatem autem fuisse hic potentem, præsertim apud Sudinos, cognoscimus ex Schüzij lib. 1. fol. 40. & 50. *Tertius* & infimus *Ordo* fuit Plebejorum, quibus etiam aliquando dabatur accessus ad iura Nobilium. Vid. Henneb. l. c. Ex his tribus Ordinibus Comitia celebrata fuisse non legimus, sed quilibet Princeps & potentior Nobilis peculiarem videtur constituisse Rempublicam. Quædam etiam provinciæ planè fuerunt populares. Nihil itaque his gentibus antè ingressum Ordinis Teutonici commune fuisse videtur præter solum Pontificem Maximum *Krive Kriveito*, sedemque ipsius *Romove*. Ingruentibus autem periculis bellicis Respublicæ populares eligere sibi solebant Ducem bellicum, sub cujus auspicijs hostem repellere possent. Qui populus Principem habebat, ille sub Principis sui Imperio bella gerebat. Si singuli populi hosti non erant repellendo, cum finitimis Principibus vel populis consilia conferentes fœdus pangebant. Totam aliquando Prussiam ad bellum fuisse excitam asserere non audemus. Imo neque fœdus aliquod defensivum inter omnes Prussicas gentes intercessisse colligi potest ex eorum temporum Historia. Quod enim Chronicon quoddam Anonymi MS. habet Ehweitum III. Prussiæ Ducem ex omnibus Provincijs exercitum collegisse tempore Conradi Masoviæ Ducis, hoc ut alijs Chronicis ignotum, ita etiam prorsus fictum existimamus. In singularibus autem gentium Prussicarum Comitijs magna fuit authoritas Weidelottarum, sive Sacerdotum utri-

usque

usque sexus, quodcunque illi rudi populo svadebant, illud etiam facilè persvadebant, adeò ut etiam in manifestam perniciem se præcipitassent Prussi, dummodò Deorum illam esse voluntatem ipsis Weidelottæ sive ipsorum Burti asseverarent. Exemplum nobis refertur à Petro Dusburgio antiquo Historiæ Prussicæ Scriptore de Galindis. Hi mira fœminarum fœcunditate in tantam multitudinem excreverant, ut etiam locus deficeret, in quo sedes suas figerent. Hinc obstetricibus injunxerant ut fœmellas statim post partum occiderent. Cum autem his Obstetrices morem non gessissent, omnibus uxoribus suis mammas præciderant, ne liberos lactare possent. Hac contumelia mulieres irritatæ, fatidicam quandam mulierem sive Weidelottam accedunt, consilium quomodo illatam sibi injuriam ulcisci possent rogantes. Illa convocatis omnibus Galindis, hoc sibi à Dijs revelatum esse pronunciat, Deorum hanc esse voluntatem, ut omnes Galindi inermes Christianorum Provincias depopulentur. His auditis Galindi in Masoviam irrumpentes prædas agunt: Sed Christiani turbam inermem adoriuntur, tantamque stragem edunt, ut vix nuncius cladis illius superesset. Henneb. in Commentar. ad Tabulam Prussiæ Geographicam, sive in Chron. fol. 135.

V. Verum ulterius progredi, & inquirere placet, quisnam fuerit *finis* Reipublicæ Prussicæ tempore Lithvanorum: Certum enim est, alias Respublicas respicere *honestum*, verasque sectari virtutes: alias verò omne studium collocare in *potentia* & *gloria bellica*: alias iterum in *operibus* & *divitijs* congerendis: alias tandem in sola *voluptate* Summum bonum collocare. Jam primò quod Prussi Veteres pro fine Reipublicæ suæ non constituerint *divitias*, hoc facilè apparet ex paupertate illius gentis, ex victu etiam &

am & amictu vilissimo alijsque institutis. Quod *victum* ipsorum attinet, docemur à Scriptoribus nostris elixarum carnium apud ipsos nullum fuisse usum: *Terram etiam veteres Prussi minimè excoluere, vel ob ignorantiam rei rusticæ, vel ne bonitate soli deprehensâ & ipsi finitimorum metui obnoxij fierent, indèq́ eliminarentur, vel quod victum è terrâ nascentibus nondum novere*, ait Erasmus Stella lib, *1*. An iq. Boruss. Quod victum è terrâ nascentibus nesciverint, testatur exemplum illud, quod varij Scriptores referunt de Legatis à Veteribus Prussis ad Cruciferos Balgam missis. Hi enim cum vidissent Cruciferos lactucam & alia olera comedentes, renunciarunt suis, se cum Cruciferis bella gerere non posse, cum illi jumentorum instar etiam gramine victitare, inque Sylvis ipsis vitam sustentare possint. Henneb. de Vet. Prussia & alij. *Potus* ipsorum fuit aqua, lac equinum, & sanguis jumentorum, ut testatur Scholiastes Adami Bremensis ad pag. *150*. num. 87. Idem habent Johannes Dlugossus lib. II. Chron. Polon. ad An. 997 fol. 115. Erasm. Stella lib. 1. Antiq. Boruss Ordens-Chronick fol. 29. b. Henneb. & alii. Postea etiam usus invaluit cerevisiæ & mulsi. Martin. Cromer. lib. III, fol. 443. in Corp. Hist. Polon. Imò postremis temporibus in sacris suis nullo ferè potu alio, quam cerevisiâ usi sunt Prussi, ut satis apparet ex Dissertatione nostra de Idololatria Veterum Prussorum. Nec pretiosior fuit ipsorum *vestitus*. Videlicet utebantur tunicis brevioribus panno ex cruda lana confecto: tunicæ illæ, aut hic in Prussia conficiebantur, aut etiam (præsertim invalescentibus navigationibus) ex Germania navibus huc afferebantur. Testatur hoc Adamus Bremensis l. c. Fœminæ Prussicæ lineas habebant tunicas. Erasm. Stella lib. 1. Antiquitat. Boruss. *Calcei* Prussorum

 erant

erant ex alburnio (i. e. ex mollissimâ illâ arboris parte quæ est inter corticem & lignum) quales adhuc hodiè apud Lithvanos conficiuntur, aut etiam fuerunt ex crudo corio confecti. Non dubitandum tamen est, quin honestiores & nobiliores Prussi usi etiam sint vestibus ex preciosioribus pellibus confectis, quarum hic copia magna fuit. Audiamus Adamum Bremensem: *Aurum*, ait ille, *argentumq́ pro nihilo ducunt, pellibus abundant peregrinis, quarum odor nostro orbi lethiferum superbiæ venenum propinavit. Et illi quidem ut stercora hæc ad nostram fortè habent damnationem, qui per fas nefasq́ ad vestem anhelamus marturinam, quasi ad summam beatitudinem. Itaq́ pro laneis indumentis, quæ nos dicimus Paldones, illi offerunt tam pretiosos martures*. In lib. de Situ Daniæ & reliquarum Septentrionalium Regionum Num. LXXVII.

VI. Deindè *Virtutem* veram Prussos veteres non quæsivisse, aut quærere non potuisse satis docet ipsorum barbaries, qua impediti virtutem veram perfectè non agnoverunt. Quamvîs solo naturæ ductu multas etiam excoluerint virtutes, ita ut multis politioribus gentibus palmam præripere possent. *L*audat in ipsis Adamus Bremensis humanitatem, quâ complecti solebant in mari periclitantes & a piratis infestatos: Laudat etiam in ijsdem avaritiæ fugam, & multò plura laudabiliora de ipsis dici posse affirmat, si solam Christi fidem amplecterentur. l. de Situ Dan. p. 147. Cõf. Stella l. 1. Antiq. Hospitalitatem Veterum Prussorum omnes Scriptores nostri deprædicant. Nemini enim hîc licuit ostiatim stipem emendicare, sed ditiores pauperibus abundè cibum subministrabant: præsertim autem liberalitatem suam exercebant in eos pauperes, qui hospitem nomine proprio compellare poterant. Credebant enim hoc ipsis à Dijs fuisse revelatum. Henneb. de Vet. Pruss. pag. 19.

Non

Non minorem laudem meretur ipsorum in facinorosos rigor. Homicidas illi capitali supplicio afficiebant. Si quis Weidelottam sive Sacerdotem interfecisset, hunc interficiendi potestatem habebant omnes interempti cognati. Henneb. de Vet. Pruss. pag. 17. b. seq. Ex Grunov. tract. 3. cap. 3. Fur primùm virgis cædebatur, si verò iterùm in furto esset deprehensus, tum fustigabatur. Tertiùm in furto deprehensus, canibus objiciebatur devorandus. Schuz lib. 1 fol. 3. b. Henneb. de Vet. Pruss. pag. 18. Adulteri comburebantur, cineres verò combustorum in publicam spargebantur viam, neque liberis ipsorum ad sacrum Weidelotarum Ordinem patebat accessus. Henneb de Vet. Pruss. pag. 17. b. His tamen non obstantibus veram illi virtutem non sunt sectati, quod manifestè apparèt ex humanis victimis, quas Dijs suis immolabant, ut & ex alijs barbarè factis. Ut alia prætercam, illud certè immanem redolet barbariem, quod servos debiles, claudos vel senio confectos soliti sint ex arboribus suspendere, ne gratis ipsis victum subministrare cogerentur. Schüz lib. 1. fol. 3. b. Permisit etiam Weidevvutus filijs, ut parentes ob ætatem aut morbum labori jam impares strangulatione è vivis expungerent, atque ita sese & domum impensis inutilibus expedirent. Alb. Wijuk Kojalowicz. Part. 1. Hist. Lithv. lib. 1. pag. 18.

VII. Porrò primis à suo in Prussiam ingressu temporibus Lithvani non quæsiverunt etiam *laudem bellicam*. Gens enim fera & Sylvestris ad justum bellum gerendum minus idonea fuit. Nullus tum apud Prussos erat armorum usus, sudibus vel fustibus tantum oblongis plumbo infuso rigentibus hostes adoriebantur, habebant etiam alios fustes breviores eadem ratione plumbo infuso graves, qui-

bus eminus hostem petere solebant. Henneberg. de Vet. Pruss. pag. 20 Postea verò bello à Polonis aliquoties petiti, arma etiam sibi compararunt, quibus etiam successu temporis adeò asveverant, ut postremis temporibus bellicam gloriam unicè quæsivisse videantur. Hinc etiam varia apud ipsos instituta bellica fuisse legimus. In bellum profecturi Ducem sibi strenuum eligebant, quales sub ingressum Ordinis Teutonici fuere *Pyopso* Ermelandensium Dux apud Schüz fol. 20. med. Scumandus Dux Sudinorum. Schüz. lib. 1. fol. 41. & alij. Tum capiebant ab hostibus hominem, cujus pectus Summus ipsorum Sacerdos Crive Criveito, captandi ex sanguine profluente ominis causa, aperiebat. Henneb. de Vet. Pruss. p. 20. In ipso bello id agebant, ut hostem insidiosè circumvenirent. Testatur id de Prussis Vincentius Kadlubko, cujus hæc sunt verba: *Intrepidi (Poloni) bellum quærunt: diu quæsitum nusquam reperiunt, cunctis hostium (* i. e. Prussis) *in delubris ac speluncis delitescentibus, non tam timoris pusillanimitate, quam cautelæ industriâ. Sicut enim in arte exercitatissimi, sed in plano nulli, plus arte, quam viribus, plus audaces temeritate, quam animi virtute.* Hæc Kadlubko lib. IV. Chron. Polon. cap. 19. Conf. lib. III. Epist. 31. pag. 375. Callidum ipsorum in excogitandis artibus bellicis ingeniū elucescit tum ex alijs, tum ex illa clade, quam Polonis intulerunt sub Boleslao Crispo Duce. Vid. Vincent. Kadlubko lib. *III.* epist. 31. pag. 374. seqq. Neugeb. lib. *III.* pag. 107. seq. In defensionibus castellorum solebant Vet. Prussi insignia sua munimentis infigere, ut ab hostibus conspici possent, ut factum est in defensione arcis Slemmo, quam Pipinus Prutenorum Dux in lacu condiderat. Habuerunt autem Prussi in insignibus suis duas coronas sibi invicem oppo-

oppositas. Vid. Thomas Waisselius in Chron. Pruss. sub Conrado Landgr. Hassiæ Ordinis Teutonici Magistro. Si victoriam ab hoste reportarunt, captivis omnibus trucidatis, prædam in quatuor partes partiebantur. Prima Dijs, Secunda Kyrwaytæ & Weidelottis, tertia amicis & vicinis consecrabatur, quartam autem ipsi inter se dividebant. Henneb. de Vet. Pruss. pag. 21. Ex hostibus primarium aliquem Ducem captum eô modô Dijs suis immolabant: Nempe solebant ipsum loricâ & armis consvetis indutum proprio equo imponere, & pedibus equi ad diversas arbores alligatis comburere. Ordens Chron. fol. 110. Si plures essent ex primarijs captivis, sorte designabatur Dijs immolandus. Henneb. de Vet. Pruss. pag. 8. b.

VIII. Tandem restat ut videamus, an Prussi illi gentiles à Lithvanis oriundi *voluptatem* pro fine Reipubl. suæ agnoverint. Posset quidem hoc alicui improbabile videri, gentem illam in tantâ paupertate & morum asperitate voluptates potuisse sectari, præsertim cum ex superioribus constet, victum eorum fuisse simplicem & minimè delicatum. Nos tamen non dubitamus, quin primis ab ingressu in Prussiam temporibus, Lithvani, brutorum instar ad saginam ventris abjecti, voluptatum illecebras sint sectati. Nam quod terram non excoluerint, causa fuit (præter supra assignatas) ipsorum ignavia. Ebrietati quoque, si ulla gens alia, maximè fuerunt deditì, adeò ut nullum se officium in amicum & hospitem crediderint contulisse, si ebrium illum non viderent. Johan. Dlugoss. lib. 11. Hist. Pol. fol. 115. Fuerunt autem non viri solùm ebrietati deditì, sed etiam fœminæ. Dlugoss. l. c. Cromer. lib. III. fol. 443. Henneb. de Vet. Pruss. p. 19. a. Exemplum hujus rei habemus apud Hennebergerum, qui aliquando decem mulieres Sudavicas

uno

uno tempore integrum dolium cerevisiæ exhausisse refert, in Chron. fol. 445. Imò potu sanguinis equini illos inebriari solitos, testis est Scholiastes Adami Bremensis l. c. Solebant etiam Prussi balneorum usu penè quotidiano lassitudinem labore vel intemperantia & ebrietate contractam depellere, indeque excalfacta corpora aquæ immergere aut abluere. Dlugoss. & Cromer. ll. cc. Porrò & ex aliis finem hunc Reipubl. Prussicæ Veteris cognoscimus. Non enim ut Germani antiqui unâ uxore fuerunt contenti, sed licuit ipsis plures sibi adjungere. Quidam enim dicunt nullum fuisse finitum uxorum numerum, sed licuisse ipsis tot uxores ducere, quod emere & sustentare potuerunt, quas deindè ancillarum loco habebant. Dlugoss. l. c. Matth. à Michov. lib. II. Chron. Polon. cap. VIII. fol. 26. Cromer. lib. III. fol. 443. Idem in quibusdam Chronicis Prussicis afferi videtur. Schuz fol. 3. b. Alii tres tantummodo uxores potuisse sibi Prussos emere, sibique adjungere asserunt, quibus alternatim usi esse dicuntur, & quidem vel in publico. Henneb. de Vet. Pruss. pag. 16. Alij à Weidewuto monogamiam fuisse institutam asserunt, ut Martinus Murinius in Chron. Pruss. cap. II. pag. 3. fin. Alb. Wijuk Kojalowicz Part. 1. Hist. Lithv. lib. 1. Quæ forsan ita conciliari poterunt, quod antiquitus hoc fuerit institutum, postea verò fuerit neglectum, ita ut potentiores ducerent uxores quot vellent, alij autem plebeji definitum numerum excedere prohiberentur. Inter illas plures uxores una honoratior erat, præsertim si ex genere Scandinavico sive Gothico fuerat oriunda. Henneb. de Vet. Pruss. pag. 16. Novercam apud ipsos licebat uxorem ducere, Henneb. pag. 17. quod ipsum & de Samogitis refert Matth. à Michov. lib. IV. cap. XLV. Præterea Vidua quæ nullos habebat li-

beros,

beros, eo usque ab adolescentibus invisebatur, donec filium aut filiam peperisset, & tum in Sacrum Ordinem recipiebatur, ut fieret Weidelotta. Henneb. pag. 17. Viri defunctas uxores tantùm per octiduum lugebant. Idem l. c. Tandem quæ uxor nolebat cum Viro cohabitare, poterat ad vivicomburium condemnari, ejusque sorores omnibus contemptui & ludibrio erant, ex eâ ratione, quod non docuerant sororem Dijs & Viro obedire. Henneb. l. c. Ex quibus jam manifestum est finem illius Reipubl. fuisse *Voluptatem*, nisi quod postremis temporibus *laudem* etiam *bellicam* cœperint affectare.

IX. Sed accedamus jam ad ultimam GERMANORUM migrationem. Cum Sec. XIII. Prussi Veteres conterminam sibi Masoviam continuis excursionibus infestarent, & *Conrado* Duci Masoviæ nulla spes superesset auxilij à Duce Poloniæ impetrandi,] instituit ille primò Ordinem *Fratrum*, ut dicebantur, *de Dobrin*, svasu Christiani Monachi Ordinis Cisterciensis & postea primi Prussorum in tractu Culmensi Episcopi (Hunc enim Episcopatum Conradus à Cruciferis postea adjutus instituisse fertur. Vid. Cromer. lib. III. fol. 434. Stanisl. Lubienski in Vita Viti Episcopi Plocensis fol. 336. Operum. Neugeb. lib. III. Hist Polon. pag. 130.) Magister hujus Ordinis fuit constitutus quidam *Bruno*, à Christiano investitus. Fratres illi assumpserunt regulam fratrum Ensiferorum in Livonia. Vid. Thom. Waisselius in Chron. Pruss. pag. 47. & alij. Polonici Scriptores referunt fratrum horum Ordinem non fuisse à Conrado institutum, sed ex Livonia in Prussiam evocatum. Vid. Johan Dlugoss. lib. VI. ad An. 1224. Matth. à Michovia lib. III. cap. XIII. fol. 86. Sed cum neque in his præsidii quicquam invenisset Conradus Masoviæ Dux, *Ordinem Teutonicum S*,

Ma-

Maria ejusdem Christiani ſvaſu evocavit, cui tum præerat *Hermannus à Salza*, quartus in Ordine Magiſter poſt primum *Henricum à Walpot*, Eâ verò Lege evocatos fuiſſe Fratres Ordinis Teutonici refert Cromerus Epiſcopus Warmienſis, ut, ubi Pruſſos deviciſſent, Culmenſem ditionem Polonis redderent; cætera verò, quæ de barbaris cepiſſent arbitrio bonorum virorum ex æquo cum Polonis partirentur. lib. VII. de Ortu & Reb. geſt. Polon. circa fin. fol. 580. Cum Cromero facit & Author Chronici Pruſſici, quod Wolffgangus Dietmarus Typographus Elbingenſis edidit, in Hermanno à Salza. Quidam autem ex Scriptoribus noſtris negant tam duras Ordini Teutonico fuiſſe præſcriptas conditiones. Vid. Chron. Ordinis fol. 35. a. Schuz. lib. 1. fol. 17. Quoddam etiam Chronicon MS. concedit ejusmodi pacta inter Conradum & Ordinem Teutonicum fuiſſe inita, Conradum tamen antè mortem Cruciferos ab horum Pactorum religione abſolviſſe refert. Forſan dicere poſſemus, Pacta illa, quorum Cromerus mentionem facit, non fuiſſe cum Ordine Teutonico, ſed potius cum Fratribus de Dobrin antea inſtitutis inita, quibus Fratribus (ſi vera eſt Scriptorum Pruſſicorum relatio) Conradus ipſorum Fundator facilè potuit adeo duras præſcribere Conditiones. Nobiſcum facit etiam Petr. Dusburg. cujus nobis, dum hæc ſcribimus, facta eſt copia.

X. Sed lubet etiam paucis in *prima Ordinis Teutonici primordia* inquirere, antequam ad alia progrediamur. Scriptores Pruſſici ſequenti modo rem illam enarrant. Circa An. 1189. Cum in terra S. obſidio *Ptolemaidis* ſive *Accona* (quæ Germanis dicitur Ackers) protraheretur. & multi Chriſtianorum milites ex dyſenteria laborarent, multi quoque à Saracenis urbem defendentibus vulnerarentur, Cives quidam Lubecenſes & Bremenſes, qui navibus eô venerant, Chriſtia-

ſtianis auxilio futuri, velis navium in terra expanſis, papilionibusque erectis milites ægros colligebant ij que quæ ad ſanitatem recuperandam faciebant largè ſubminiſtrabant. Dux Germanici Exercitus in oppugnatione illa fuit Fridericus Dux Sveviæ filius Friderici I. Imperatoris, qui pium civium horum inſtitutum conſpicatus, communicato cum cæteris Principibus (quorum tunc magnus in caſtris Chriſtianorum erat numerus) conſilio, Ordinem Teutonicorũ Equitum inſtitui ſuadet, qui curam Pauperum in Terra S. degentium gererent, & Chriſtianos contra Barbaros tuerentur. Re ab omnibus probatâ, conceditur Equitibus illis recens inſtitutis ex Henrici Regis Hieroſolymitani largitione Domus Hoſpitalis Hieroſolymis, quæ domus S. Mariæ dicebatur. Mittuntur etiam ſtatim ad Imperatorem petituri, ut Ordinem hunc confirmaret, Privilegijs ornaret, Pontificem etiam Rom. rogaret, ut ſuo quoque calculo eundem faceret ratum. Et ſic confirmatus eſt Ordo ille ab *Henrico VI.* Imp. & *Cœleſtino III.* Papa Romano. Exigua hujus Ordinis, ut rerum omnium, fuerunt initia. Ab initio enim 40. tantum Equites in Ordine fuerunt numerati, quorum primum Rex Hieroſolymitanus, ſecundum Fridericus Dux Sueviæ, alij reliquos usque ad quadrageſimum crearunt. Patriarcha verò Hieroſolymitanus eos inveſtivit in caſtris ad Acconam. Ex his quadraginta deindè in Magiſtrum ſive Ordinis illius caput à Friderico Sveviæ alijsque Ducibus electus eſſe dicitur Henricus Walpot von Paßenheim. vid. Petrus à Duſburg, fol. 9. Item Regula Fratrum Ordinis. in Præf. J. Funccius in Comment. ad lib. X. Chronologiæ ſuæ ad An. 1189. Schuz. lib. 1. Chron. Pruſſ. fol. 15. & in Catalogo Magiſtrorum Chronicis præfixo & alii. Eodem modo Ordinis hujus originem exponit Henricus Bangertus in No-

tis ad lib. III. Arnoldi *Lubecensis* cap. XXXVI. Sed his contrariatur authoritas *Jacobi de Vitriaco*, qui circa eadem tempora Episcopus fuit Acconensis, historiamque suam usque ad An. 1218. perduxit. Hic enim Ordinem Teutonicum *in ipsa urbe Hierosolyma* cœpisse refert: *Cum civitas sancta*, ait Jacobus de Vitriaco, *post prædictam ejus liberationem habitaretur à Christianis & multi ex Teutonicis causâ peregrinationis pergentes Hierusalem linguam Civitatis ignorarent, inspiravit divina Clementia cuidam honesto & religioso Viro Teutonico, qui in civitate cum uxore sua morabatur, quatenus quoddam Xenodochium de bonis suis construeret, in quo pauperibus & infirmis Teutonicis hospitalitatem exhiberet. Confluentibus autem ad ipsum ratione commercij linguæ & noti sibi idiomatis de gente illa multis pauperibus & peregrinis de consensu & voluntate Domini Patriarchæ quoddam oratorium composuit juxta prædictum Hospitale in honore beatæ Dei genitricis Mariæ. Longo autem tempore in magna paupertate tam de bonis suis quam de his quæ colligebat ex fidelium Eleemosynis pauperes infirmos procurabat. Quidam autem & maximè de gente Teutonicorum prædicti viri charitatem & meritum attendentes omnibus renunciantes se & sua Deo & prædicto Hospitali tradiderunt ministerio pauperum, deposito seculari habitu voto se adstringentes. Procedente autem tempore cum non solùm de inferioribus, sed de Equestri ordine & de Nobilibus Alemanniæ Viris Deo devotis prædicto Hospitali sese voto obligassent, paupertatem voluntariam & abjecti in Domo Dei esse magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum eligentes; visum est eis Deo gratum esse & acceptum & magis meritorium, non solum pauperibus infirmis servire, sed insuper animas suas pro Christo ponere, & ab inimi-*

tis

ctis fidei Christiana Terram sanctam defendendo Christo tam spiritualiter quam corporaliter militare. Vnde regulam & instituta fratrum militia Templi ita susceperunt, quod opera pietatis & Deo amabilem hospitalitatem non reliquerunt. Hæc ille lib. 1. Hist. Hierol. cap. LXVI. Eadem habet Marinus Sanutus Torsellus Patricius Venetus lib. III. Part. VII. cap. III. Describunt hi posthæc expugnationem Accönæ, sed nullam faciunt mentionem Ordinis instituti. Vid. Jac. à Vitriaco ultimis capitibus libri primi, & Sanutus Lib. III, Part. X. Conf. & Polydor. Vergil. lib. VII. de Inventorib. rerum cap. V. & Jac. Gretserus Tom. II. de Cruce lib. *II.* cap. XVI. Alii adhuc aliam hic fovent sententiam, qui in ipsa urbe Acconensi putant Ordinem hunc institutum esse, post ejusdem expugnationem, ut ex tempore ab ipsis annotato colligere licet. Nam Siffridus Presbyter Misnensis in Chron ad An. MCCXII. dicit: *In Accarone* (Accone) *cœpit Ordo fratrum Teutonicorum.* Inter Scriptores Germanicos à Pistorio editos fol. 694. Author Compilationis Chronologicæ apud eundem Pistorium initium Ordinis hujus refert ad An. MCC. fol. 738. Paulus Langius in Chronico Citizensi refert hoc ad An. MCXCIV. Ptolemais autem jam antea Anno videlicet MCXCI. Saracenis erepta est. Nos hîc Jacobo de Vitriaco & Marino Sanuto ferè adstipulamur, quorum ille circa eadem tempora Episcopus fuit Ptolemaidis, quæ & Accona dicebatur. Nisi illas sententias ita conciliare velimus, ut dicamus, Ordinem hunc Hierosolymis cœpisse; in expugnatione verò Acconensi confirmatum esse: in Urbe tandem Acconensi maxima incrementa sumpsisse, ita ut jam expeditiones publicas contra hostem suscipere posset. Hinc itaque alij initium Ordinis referunt ad prima ejus incunabula, alij ad

illa tempora, quibus confirmatus est, alij tandem ad illa tempora, quibus toti ferè Europæ innotuit.

XV. Jam ad ipsa Fratrum Ordinis Teutonici instituta, eorumque deindè Rempublicam accedemus considerandam. Magnam autem eorum partem cognoscere possumus, primò ex *Regula* Ordinis, deindè ex *Legibus* Ordinis, tertio ex *consvetudinibus* Ordinis, & tandem ex specialibus quorundam Magistrorum *Legibus*. quæ omnia reperimus in aliquot Codicibus MSS. in Bibliotheca Electorali asservatis. Quamvis negari non possit, Fratres hos multa contra Regulam, & alia Ordinis instituta, posterioribus temporibus fecisse. Primò autem enumerabimus ea, quæ totum Ordinem concernebant. REGULA Ordini huic à Cœlestino *III*. Pontifice data, fuit S. Augustini, ut Fr. Menennius in Delic. Equestr. Funccius in Chronol. & alij testantur. Secundum hanc Regulam omnes Ordinis huius fratres *cælibem agebant vitam*. A Colloquijs etiam cum mulieribus, præsertim junioribus, abstinere jubebantur. Imò neque propriam Matrem vel sororem ipsis osculari licebat. in Regula Num. XXVIII. Ad servitia tamen domestica quædam mulieres admitti permittuntur in Reg. Ord. num. XXXI. Vovebant etiam *paupertatem*. Qua de causa fratres Ordinis nihil proprij secundùm regulam possidere poterant, nisi ipsis id à Magistro, alijsve Superioribus fuisset concessum. Vid. Regula Ordinis num. I. Leges Ordinis num. V. seq. Leges Conradi ab Erlichshausen pag. 109. & 110. Indè etiam cistas suas obserare prohibebantur ne quis pecuniam ipsos occultare suspicaretur. Reg. Ord. num. XXI. Quæ igitur possidebant, illa possidebant communi nomine Ordinis & Capituli, idque ob Ægrotos, Pauperes & Ordinis Equites sustentandos. Reg. Ord. num. *II*. Mitti

etiam

etiam in Regula permittuntur, qui eleemosynas colligant ad ægrotos curandos num VII. Vovebant porrò *obedientiam*, ut ex eadem Regula apparet. Præterea de *pietate* ipsorum multæ etiam leges reperiuntur. Primus enim Ordinis hujus Magister instituisse dicitur, ut fratres singulis diebus noctibusque ducenties Orationem Dominicam, Symbolum Apostolicum & Salutationem Angelicam dicerent. Vid. Reg. Ord. num. VIII. Henneb. in Chron. fol. 162. Thom. Waissel. p. 42. Dicitur quoque constituisse ut fratres Laici punirentur tantùm ab eo, qui secundus esset à Magistro: Sacerdotes verò ab ipso Magistro, & quidem occulte, nisi facinus enorme publicam exigeret pœnam. Henneb. & Waissel. ll. cc. Vid. de pœnis fratrum plurima, in Legib. Ord. num. XXXIII. seq. Septies quoque fratres quotannis jussi sunt sacrâ synaxi uti (1) die Viridium (2) Festo Paschatos, (3) Festo Pentecostes. (4) Festo assumptionis B. Virginis (5) die omnium Sanctorum. (6) Festo Natalitiorum Christi (7) Festo Purificationis Mariæ. Vid. Regula num. IX. Huc etiam illud pertinet, quod à Conrado à Feuchtwangen constitutum est, ut cellæ fratrum semper paterent, p. 78. b. Id enim factum est eo fine, ne quid mali in occulto fratres designare possent. Conf & p. 76. VESTIS fratrum hujus Ordinis fuit *pallium album cruce nigrâ* insignitum. Interiorem ipsorum *tunicam* fuisse *nigram*, testatur Polyd. Vergil. lib. *VII.* de invent. rer. cap. V. Singuli fratrum habere poterant *duo indusia, duas vestes interiores, duo paria caligarum, tunicam, cappam, unum vel duo pallia* &c. Consuetud. Ord. Num. XXXVI. Conf. Regula num. XI. *Calcei* ipsorum erant sine ullo ornamento. Reg. n. XI. Conf. Leges Conr. ab Erlichshausen pag. 112. *Arma auro* vel *argento* decorata fratribus

non concedebantur. in Reg. n, XXII. Deinde Franc. Menennius notat fratres Sacerdotes Ordinis huius facultatem obtinuisse, *ut sacra in armis facere possent, adeò ut de ijsdem verè dicere liceat, quod Rodericus Archiep. Toletanus de suis proavis Equitibus: Qui laudabant in Canticis, accincti sunt ense* &c. in Delic. Equestr. p. 35. seq. Sacerdotes hi tondebant barbas suas, quod tamen reliqui Equites facere prohibebantur. Vid. Reg. num. XII. & Leges Conradi ab Erlichshausen. p. 112. b. Utebantur porrò fratres omnes lecto stramentitio, concessum tamen ipsis erat unum cervical. Leges Ordinis num. I. p. 41. Reg. num. XI. CONDITIO & STATUS fratrum fuit, ut essent *Nobiles* & quidem *Germani*. Hoc tamen in Prussia non adeò strictè fuit observatum. Nam Sigefridus à Feuchtwangen XII. Magister Ordinis admisit etiam plebejos, dummodò essent integræ famæ. Henneb. in Chron. fol. 281. Neque illud quod de Natione Germanica diximus adeò religiosè observabatur. Nam Scumandus Dux Sudinorum, susceptâ religione Christiana, factus est frater Ordinis. Schuz. lib. I. fol. 41. De Polonis postea dicemus. ÆTAS quoque Fratrum cognoscenda nobis est. Videlicet nemo recipiebatur in Ordinem antè 14. annum ætatis. Qui pueri proprio motu Ordini se tradebant, educabantur à fratribus usque ad perfectiorem ætatem, indè interrogabantur, utrum vellent Ordini nomen dare necne? Regula Num. XXX. *Corporis integritas* etiam in fratribus in Ordinem recipiendis requirebatur, quæ fermè omnia cognoscimus ex ritu investiendi Fratres, ut & ex ipsorum juramento. Describuntur hæc nobis in Regula Ordinis his verbis: Wenne der Meister und die Brûdere das zu Rate werdent, daß sie entpfan wollent Brudere zu ir ordene / so suln sie senden einen

Bru-

Bruder zu senen/ die da Brudere wollent werden uz dem Capitele/ der sie lere alsus. Alse sie kumen in den Capitel/ daz si kumen vur dem Meister/ oder vur dem der den Capitel heldet/ unde in biten durch GOtt/ das er sie entfa zu dem Ordene ir sele zu behaldene. Und sal in der Meister antwurten; Die Bruder haben uwer bete erhöret/ ob ir nicht an u hat der Dinge die wir uch vragen sullen -- ob ir uch in de keinen Orden verlobet habet. Oder de keinem Wibe von de keinem Gelübde gebunden sit. oder de keines Herrn eigen sit/ oder de keine Schuldec sit. oder de keine Rechnunge sit schuldec zu tune/ davon der Orden möchte bekümbert werden. oder de keine verholne suche habet/ unde were dirre Dinge de keinez/ der wir uch vorgeleget haben an uch. Unde saget ir uns das nicht/ unde wurde wir es gewar hienach innen/ so enmochtet ir unser Bruder nicht sin/ unde hettet den Orden verloren. Si dicebant recipiendi se ab his omnibus liberos esse, proponebantur îpsis sequentes conditiones: Das sie den siechen globen zu dienene/ und daz H. Lant zu schirmene. Und andere Land die dazu gehorent vor den Vienden Gotes/ als verre so man sie heizet. Ob sie de kein Ampt kunnen/ daz suln sie dem Meister sagen/ unde das üben nach sinem Willen/ und nach ir macht. Sie suln auch globen zu helne den Capittel/ und des Meisters heimlich Rat. Unde nicht zu varene von disene Orden/ ane Ourloub zu einen andern Lebene. His à Recipiendis approbatis, dies ipsis probationis concedendi erant, si verò Ordinem statim suscipere volebant, jubebantur digitis libro impositis jurare: Jch entheize unde gelobe Kuschheit mines Libes/ unde ane Eigenschaft zu sine und gehorsam Gote und S. Marien/ unde uch Meistere dis Ordens

des

des dütschen Huses und uwren Nachkomen/ nach der Regeln und der Gewohnheit des Ordens des dütschen Huses. Daz ich euch Gehorsam will sin biß an minen Tood. *H*is peractis sacra synaxi utebantur, vestemque Ordinis à Magistro vel alio fratre accipiebant. Additur deindè in Regula. Den Brudern die man empfet zu dem Ordene dene sal man geloben Wazzer unde Brot/ unde alde Cleidere/ und das sal man geben den Bruderen/ die ir Ampt nicht wollen üben/ also lange biz daz si uz gerne üben &c. *H*æc in Regula num. XXVIII. Schüzius in Chronico Prussiæ paulò aliter hæc recenset, quæ tamen brevitatis causa cogimur omittere. Vid. Schüz. lib. 1. fol. 15. INSIGNIA Ordini Cœlestinus *III.* P. R. dedit, ***crucem nigram in campo albo.*** Johannes verò Rex *H*ierosolymitanus hoc insuper adjecit, ut liceret Ordini ***crucem auream*** cruci nigræ à Pontifice concessæ inserere. Waissel pag. 39. & 45. *H*is Fridericus *II.* Jmp. adjecit ***Aquilam nigram*** in campo aureo Waissel. pag. 46. Tandem Ludovicus IX. Rex Galliæ à Bello sacro reversus, auxit hæc Ordinis Jnsignia 4. ***lilys,*** sub Conrado Lantgravio *H*assiæ quinto Ord. Teut. Magistro An. 1250. d. 20. Aug. Waissel. pag. 76. Jta verò Magistri his insignibus utebantur, ut singuli suæ familiæ insignia ipsis conjungerent, uti videre licet in Chron. Waisselij aliisque MSS. SIGILLUM quod Ordini dedit Otto à Carpen *II* dus Ord. Magister, sic describunt *H*ennebergerus & Waisselius: Es war länglicht mit einer Figur eines Esels/ darauff saß ein Bildnuß der Jungfr. Marien mit dem Kindlein JEsu/ dabey ging Josepff mit einem Stabe und leitet den Esel/ die Umbschrifft des Siegels war: Das ist das Siegel des Meister-Amptes des deutschen Hauses zu Jerusalem in Comment. ad Tab. Pruss. Geogr. fol. 364.

Wais-

Waiffel. in Chron. p. 43. Teftatur autem ibidem *Waiffelius* ufos effe hoc Sigillo Magiftros usque ad Fridericum Ducem Saxoniæ penultimum Magiftrum Pruffiæ, quem hoc Sigillum mutaffe refert, fecus atque Schüzius opinatur, in Chron. fol. 16. Videlicet ultimi duo Magiftri utebantur in figillo folâ imagine B. Virginis cum puerulo JEfu. Quamvis & ante hæc tempora ejusmodi figillo ufi fint & alij, quod ex Privilegio quodam Lud ab Erlichshufen obfervavi. Alij Magiftratus Ordinis utebantur figillo fibi à Magiftro conceffo, prohibebanturque illud miniftris tradere affervandum. Reliqui fratres figillum proprium non habebant, nec fcribebant ad alios, neque legebant ab alijs transmiffas fibi literas fine confenfu Superiorum. Vid. Reg. Ord. num. XIX. & Leges Dieterici ab Aldenburg, in edem Codice MS. pag. 15. SEDES hujus Ordinis primaria ab initio fuit *Hierofolymis*, fecundum Jacobum de Vitriaco, fecundùm alios *Accone*: Deindè *Venetijs* Poftea fecundùm quosdam *Marpurgum* fedes Magiftri fuit translata. Tandem Sigefridus à Feuchtwangen XIImus Ordinis Magifter Sedem fuam *Mariaburgum* in Pruffiam tranftulit.

XII. Hæc de illis inftitutis, quæ totum Ordinem concernebant, nunc etiam in fpecie de præcipuis Ordinis hujus membris quædam nobis dicenda erunt. Caput Ordinis erat MAGISTER, ut initio appellabatur. Nam poftea, cùm fub Hermanno à Salza Ordo multis opibus & ditionibus effet auctus, auctus etiam eft titulus Magiftri, ita ut non amplius *Magifter*, fed *Generalis Magifter* (Hohemeifter) diceretur. idque ad differentiam aliorum Magiftrorum, qui ipfius nomine Pruffiæ, Livoniæ aliisque Provincijs præerant, & dicebantur *Provinciales Magiftri*. Eorum Magiftrorum

D Pro-

Provincialium præcipui fuerunt tres. Primus fuit *in Prussia.* Cum enim ab initio ipse Magister Generalis *Hermanus à Salza* auxiliorum contra Prussos-Veteres contrahendorum gratia in Germania degeret, creavit hic in Prussia Gubernatorem, sive Magistrum Provincialem *Henricum à Balke,* quem antequam Magistri generales Sedem in Prussiam transferrent, alij sedecim sequebantur, usque ad *Henricum à Plozko*, quo Magistratum hunc Provincialem gerente, *Sigefridus à Feuchtwangen* Magister generalis An. 1309. Sede in Prussiam translatâ, provinciam hanc ipse per se administrare cœpit, postquam eam Prædecessores ipsius, octoginta præter propter annis per Magistros Provinciales gubernassent. Secundus fuit in *Livonia.* Cum enim *Ensifers* Equites Livonici hostium barbarorum impetum diutius sustinere non possent, petijt *Volquinus* ipsorum Magister, ut in Ordinis Teutonici consortium reciperetur, sed ipse Volquinus, ut vult Waisselius, interea mortuus est. Alij hoc tribuunt Adelberto Rigensi Episcopo, qui, adjutoribus Engelberto & Theodorico Tisenhusijs sibi cognatis, conjunctionis hujus Auctor fuisse dicitur. Vid. Fr. Menennius in Delic. Equestr. Hinc cum fratres Livonici albam vestem cum nigra cruce suscepissent, datus est ipsis An. 1238. ab *Hermanno à Salza* in Magistrum Provincialem Hermannus Balke, qui antea Prussiæ Magister Provincialis fuerat. Ex eo tempore fratres Livonici Magistrum Provincialem, à Magistro Prussiæ accipere solebant usque ad tempora Alberti March. Brandeb. ut postea dicetur. Tertius fuit *in Germania.* Cum enim Sigfridus à Feuchtwangen in Prussiam sedem Magistrorum generalium transtulisset, ex eo tempore ipse & successores ejus Germanicas Provincias gubernarunt per Ma-

gistrum

giſtrum Provincialem. Præter hos fuerunt & alij Ordinis Teutonici Magiſtri Provinciales. Petrus à Düsburg, qui Anno 326. Hiſtoriam ſuam Pruſſicam Wernero ab Vrſeln Magiſtro generali dedicavit, numerat ſeptem ejusmodi Magiſtros, nempè *Livoniæ, Pruſſiæ, Teutoniæ, Auſtriæ, Appuliæ, Romaniæ & Armeniæ*, in Chron. Pruſſ. fol. 8. Abrogatis deindè in Pruſſia Provincialibus Magiſtris ſolebant tamen poſtea & alii *Vices gerentes* ſive *Gubernatores* non rarò eligi. Videlicet quando Magiſter generalis ipſe ad bellum proficiſcebatur, tum ne interea Provincia hæc ſine Rectore exiſtens periculis bellicis objiceretur, ſolebat ex fratribus Ordinis aliquem Gubernatorem conſtituere. Sic tempore belli Tannebergici ſub Ulrico à Jungingen XXIII. Magiſtro Ordinis, conſtitutus fuit Gubernator Pruſſiæ Henricus Reus à Plaven Commendator Swezenſis, apud Schuz. lib. III. Chron. f. 104. Conf. lib. VI. in pr. Deindè Magiſter periculoſo morbo decumbens, ſolebat uni ex fratribus ſigillum ſuum tradere, ut illud futuro Magiſtro conſervaret, quo ipſo eum gubernatorem Pruſſiæ denominabat: Si autem is Ordini non placebat, poterat Capitulum Ordinis poſt mortem Magiſtri alium eligere Gubernatorem. Vid. Conſvetudines Ordinis. num. 1. & 11. Exempla videantur apud Henneb. in Chron. fol. 287. Waiſſel. in Chron. pag. 116. Ejusmodi gubernator etiam fuit Henricus Reus à Plauen, poſtquam Ordo in Regum Poloniæ fidem An. 1466 conceſſiſſet. Ne enim ex Pactis Regi juramento fidem adſtringere cogeretur, Vices gerentem non Magiſtrum ſe dici voluit per integrum biennium. Cudi etiam monetam juſſit cum inſcriptione: HENRICUS QVA VICE GERENS. Henneb. f. 200. Waiſſ. p. 245. Schuz. lib. VII. fol. 335. Quam-

 vis

vis verò ejusmodi Vicesgerens loco Magistri Provinciæ huic præfuerit, non poterat tamen præferri sibi curare clypeum & chlamydem Magistri, neque locum Magistri capiebat ad mensam vel in templo, ut habetur in Consvetudin. Ord. num. XXXIV.

XIIII. Sed ad Magistrum generalem revertamur, ritus in eo eligendo usitatos enarraturi. Vicesgerens dicto modo, defuncto Magistro, constitutus, literis ad singulos Magistros Provinciales missis, diem Electioni futuræ præstituebat, ad quam se Magistri Provinciales, substituto in suum locum alio, ex exteris regionibus in loco Electionis sisterent, cum socio ex Ordinis fratribus electo. Interea vestes defuncti Magistri in egenos distribuebantur. Alebatur quoque per totum annum pauper quidam pro anima Magistri; ut aliàs, fratre alio defuncto, ali solebat per 40. dies. Die Electionis appropinquante convocabantur fratres ad Electionem pertinentes. Ipso die Electionis missa celebrabatur: Leges deindè prælegi solebant: Quilibet fratrum quindecim Pater noster orabat; Egenis 13. cibus præbebatur. Tum *Vicesgerens* communi Consilio totius Conventus equitem unum eligebat in *Commendatorem Electorum*. Is Commendator eligebat sibi *alium* fratrem in collegam. Hi duo *tertium* postulabant, & hi tres *quartum*, & sic porrò, usque dum *numerus* 13. Electorum compleretur. Inter illos unus erat Sacerdos, 8. Equites & quatuor alij fratres. Id verò agebant fratres, ut Electores singuli, si fieri potuit, essent diversarum nationum, ne gratiæ esset locus. Posthæc Electores juramento obstringebantur, quò in electione nihil nisi salutem publicam & Ordinis incrementum spectarent. Fratres etiam alij jusjurandum præstabant, de futuro

Ma-

Magiſtro, qui ab Electoribus denominandus fuerat, ſine mora recipiendo. Electores, ſi inter ſe aliquem ad hoc munus idoneum viderent, jubebant ipſum paululum ſecedere, tum ſententias ſingulorum explorabant, & ſi fratrum ad eum eligendum animos propenſos conſpicerent, mittebant eum ad Capitulum, rogantes, ut pro ipſo alius à Capitulo ſubſtitueretur Elector: Si verò dicto fratri reclamaretur ab Electoribus, revocabatur in Collegium Electorum. Primum votum habebat Commendator, quem reliqui Electores ex ordine vota dantes ſequebantur. Pluralitas votorum dabat Magiſtrum. Tum Electores ad Conventum generalem reverſi, Electum à ſe Magiſtrum fratribus populoque ſiſtebant. Hinc fauſtæ omnium acclamationes: Sacerdotes decantabant hymnum; *Te Deum laudamus*; Campanæ pulſabantur, aliaque lætitiæ ſigna undique edebantur. His ita peractis Vicesgerens electum Magiſtrum ad altare deductum muneris rectè gerendi commonefaciebat, tradens (per ſe, vel per alium forſan fratrem) novo Magiſtro annulum cum ſigillo. Tunc Magiſter Vicesgerentem, ut & illum, qui ſibi annulum & ſigillum tradiderat, oſculabatur. Quod ſi electus Magiſter non erat præſens in loco Electionis, tantum in Conventu denominabatur, poſtea commodo tempore, cum ſe ſtitiſſet, inaugurandus. De his Vid. Conſvetudines Ordinis à num. I. ad X. Dignitas Magiſtrorum, Regiæ fermè dignitati æquiparabatur, Vid. Petr. à Dusburg in Chron. fol. 19. Titulorum tamen ſplendor nullus erat. Primus Conradus à Wallerod XXIᵘˢ Magiſter generalis cœpit titulum Dignitati ſuæ convenientem ſibi adſcribere, ut aliorum Principum more nomini ſuo præfigeret illud; *Nos Dei gratia*. Quamvis ſubſequutis tempo-

ribus

ribus neque hoc fuerit obſervatum, cum & poſt ea tempora titulum hunc reperire liceat: *Nos frater* N. N. *Ordinis fratrum Hoſpitalis S. Mariæ Teutonicæ Domus in Hieruſalem Generalis Magiſter.* In Conventu Magiſtro cum aliis fratribus accumbenti, id honoris exhibebatur, ut ipſi quatuor partes carnium & piſcium darentur, ut eo melius munificentiam ſuam erga fratres pœnitentes vel etiam alios exercere poſſet. in *L*egib. Ord. num. IX.

XIV. Magiſtrum vel ejus Vicesgerentem ſequebantur EPISCOPI. Fuerunt autem ſequentes. Nempe *Warmienſis*, cujus ſedes antea fuit Brunsbergæ, poſtea verò Heilsbergæ: *Culmenſis*, qui olim Varmienſem anteibat teſte Cromero lib. 2. Deſcript. Polon. p. 220. Hic Lubaviæ Sedem ſuam habet. *Pomezanienſis*, qui Sedem ſuam habuit Riſenburgi; tandem *Sambienſis*, cujus ſedes erat in oppido Fiſchhauſen usque ad Georgium Polenz, qui ſub Alberto Balgam conceſſit. Hos quatuor Epiſcopatus inſtituit *Innocentius IV.* P. R. per Wilhelmum Epiſcopum Murinenſem Legatum ſuum. An. 1243. teſte Petro à Dusburg. in Chron. fol. 60. Quamvis *Culmenſem* jam ante inſtituiſſe dicatur Conradus Maſoviæ Dux, ita ut hic non niſi confirmatio Pontificia acceſſerit. Vid. Schuz. in Catal. Epiſcop. Culmenſ. Chronicis præfixo. Fuerunt autem dicti Epiſcopi ſubjecti Archiepiſcopo Rigenſi, ut Metropolitano ſuo. Vid. Franc. *M*enennius in Delic. Equeſtr. Dav. Chytræus in Saxonia lib. 1. fol. 18. Id etiam notandum eſt, non fuiſſe Epiſcopos Pruſſiæ ſtatim ab initio inter membra Ordinis numeratos, ſed eos ſucceſſu temporis eò fuiſſe adductos, ut Ordinem ingrederentur. Imò Epiſcopum *Varmienſem Magiſtri & Ordinis* dominatum nunquam agnoviſſe, teſtatur Cromer. lib.

2. De-

2. Descript. Polon. p. 220. Hinc etiam factum esse puto, quod in Regula, Legibus & Consvetudinibus Ordinis nulla reperiantur Statuta de Episcopis. Patet id etiam ex Catalogo Episcoporum Sambiensium apud Hennebergerum, ubi Siffridus III. Episcopus *Sambiensis* dicitur cum Capitulo suo Ordinis regulam suscepisse. in Chron. fol. 131. Legem deindè Conradus à Jungingen fixit, ne quis in Episcopum Prussiæ eligeretur, nisi fuerit Ordinis Teutonici frater. Waissel. pag. 13. Conf & pag. 132. Undè etiam, in Pactis An. 1466. cum Rege Poloniæ initis, Episcopatus Sambiensis dicitur & in capite & in membris regularis, apud Joan. Januszovium lib. VII. Constit. Polon. Part. III. tit. 1. fol. 876. In Livonia quoque Archiepiscopus Rigensis post varias contentiones & tumultus, tandem per publicam Pontificis sententiam, assumptâ Ordinis veste, factus est regularis. Nam Sylvester Toruniensis Prussus Archiep. Rigensis bullam habitûs inter Archiepiscopos & Ordinem erexit, quâ perpetuò se & successores ac Collegas suos eodem cum Ordine habitu usuros & fratres Ordinis fore professus est. An. 1451. mense Julio. Vid. Albert. Cranz. lib. IX. Wandal cap. XXVIII. Dav. Chytræus in Saxonia lib. 1. fol. 19. 20.

XV. Episcopos excipiunt PRÆCEPTORES (die Gebietiger) alijque *Magistratus*, qui officijs publicis in hac Provincia, præter summum illud *Magistri* ipsius generalis, vel etiam ejus Vicesgerentis præerant. Inter hos primus erat *Commendator magnus* (Groß-Compthur) Cum enim, ut supra diximus, Sigfridus à Feuchtwangen *Magister* generalis An. 1309. ipse in Prussia præsens Rempubl. Prussicam gubernare constituisset, sublato *Magistri* Provincialis officio, aliud, nempe Commendatoris magni, Officium substi-

tuis

avit, eique Henricum à Plozko (antea *Magistri Provincialis* munere, absente Magistro generali, functum) præfecit. Non fuisse autem Commendatoris generalis officium ad certum aliquod negotiorum genus restrictum, sed omnibus Consultationibus ipsum ex æquo præfuisse, tradit Henneberge-rus in Chron. fol. 281. & ex eo Waissel. p. 104. seq. Quæ tamen secus sese habent. Nam Magno Commendatori præter commune Consiliarij munus, aliaque, de quibus paulò post dicemus, commissa fuit in specie cura thesauri, frumentariæ rei, & navium. Fratres quoq; Sacerdotes, & laici, item ministri domi habitantes, ut & Opifices sub ipsius fuerunt inspectione. Vid. Consvetud. Ord. num. XXX. In ijsdem Consvetudinibus Consilium datur Magistro, ut peregrè profecturus Magnum Commendatorem potius, ut jam omnium negotiorum gnarum, suo loco regimini præficiat, quam alium aliquem fratrem. Hæc tamen arbitrio Magistri permittuntur. num. XXXII. Habebat Commendator Magnus in bello & in itinere fratrem Equitem & alium fratrē, præter alios Ministros, qui ipsū comitarētur. num. XXXI. Secūdus erat *Marschalcus Ordinis*, sive *Marschalcus supremus* (Oberster Marschalck vel Landmarschalck) qui sedem suam habuit in arce Regiomontana. Ejus erat rem bellicam curare, quam ob rem ipsi secundùm Magistrum subjecti erant omnes fratres Equites. Hic fratribus procurabat arma & equos. Duos etiam fratres habebat comites, unum fratrem equitem, & alium fratrem, præter Vice Marschalcum aliosque ministros. Consvetud. Ord. n. XXIII. Poterat quoque Marschalcus absens alium in suum locum substituere. Consvet. Ord. n. XLV. Sine consensu tamen Magistri non emebat equos, nisi necessitate urgente; non pote-

rat

rat etiam aliquem dimittere ab exercitu inconsulto Magistro. In bello itidem sine indultu Magistri hostem aggredi prohibebatur. Vid. Consuet. Ord. num. XXVII. & seq. & n. LV. Ratione prærogativæ illud observatum fuisse legimus. Pacis tempore Commendator Magnus præcedebat Marschalcum, ipsiusque officii erat, absente Magistro & ejus Vicesgerente, Capitulum convocare. In expeditione verò bellica Marschalcus præcedebat Commendatorem Magnũ, imò hic ab illius nutu dependebat, ut & cæteri Commendatores majores, nempè Trapiarius & Thesaurarius. Congregebat etiam Marschalcus Capitulum in expeditione bellica, si Magister & ejus Vicesgerens aberat. Et hæc in generalibus expeditionibus observabantur. Quando verò multi hostes erant reprimendi, tum sæpius Commendator Magnus à Magistro contra hostem missus munere Marschalci fungebatur. Imò hoc in universum notandum est, Commendatorem Magnum munia Marschalci, & contra Marschalcum munia Commendatoris Magni in absentia alterius obiisse. Consuetud. Ord. num. XXVI. & XXXII. Conf. Schuz. lib. II. fol. 76. b. Tertius in ordine sequebatur *Hospitalarius supremus*, qui Elbingæ, ut Commendator illius loci, sedem suam habebat. Ejus officium erat peculiare, curam gerere pauperum, alijsque Hospitalarijs inferioribus præscribere, qua ratione proventus ad Xenodochia pertinentes administrare tenerentur. Hospitalarius hic supremus non tenebatur rationes reddere redituum & expensarum, ut eò liberalior esse posset in ægrotos aliosque pauperes. Si verò sumptus deficerent in pauperes & ægrotos impendendi, Commendatoris magni erat, eos procurare. Consuetud. Ord. num. XXXIII. Habebat Hospitalarius supremus suos *Hospitala-*

talarios inferiores, qui singulis Hospitalibus præerant. Quartus fuit *Trapiarius*. (Trapierer) Hic secundùm Henneberġerum & Waisselium præerat rei monetariæ. ll. cc. Ast Joh. Jacob. Speidelius putat Trapiarium curasse rem domesticam damit in Küchen und Keller alle Notthurfft verhanden sey. In Speculo Jurid. Polit. Hist. Observ. in voce Commenthurey. Secundùm Speidelium itaque Trapiarius idem erat, qui Culinæ præfectus vel etiam Dapifer. Verum nos de Officio Trapiarij melius edocemur ex ipsis Consuetudinib. Ordinis, quæ Trapiario tribuunt curam rei Vestiariæ. Sic enim Consuetudines illæ: zu des Trapires Ampte gehöret die Traperie Wapen= Rocke. Spaldenir. Knilinge. Vanen. Wapen=Huben. Wapen/ Hantschu/ Gürtele/ unde andere Cleidere. Die sal der Trapirer den Bruderen geben/ das gehöret zu süne Ampte. Die alden Cleidere die er nach dem Winter von dem Bruderen uffgenimet/ die sal er zu dem anderen Wintere behalden/ zu theilne gleich dem Commendure unde dem Marschalcke &c. num. XXXV. Quando fratri alicui pannus dono mittebatur, poterat cum retinere permittente Trapiario: Si verò pannus duobus pallijs conficiendis sufficiebat, dimidiam partem frater Trapiario tradere cogebatur. Consuetud. num. XL. Deindè Fratribus ex Conventibus aliò missis Trapiarius de viatico providebat. Leges Conradi à Feuchtwangen in Codice *MS.* p. 78. b. Ex his etiam patet, quid sit sentiendum de sententia Joh. Limnæi, qui nomen Trapiarij derivat à Gallico *Trape*, & hoc iterum à Græco τράπεζα, undè trapezita. Tom. 1. Additionum ad lib. VI. Jur. Publ. cap. II. num. 57. Commodius itaque Trapiarij nomen derivatur à Gallicâ voce. *drap.* quod pannum significat, undè *Drapier* est pannarius propo-

la &

la, & *draperie* est locus ubi pannus venditur, item vestes ex panno confectæ. Quintus fuit *Thesaurarius*, qui Germanicè Treßler dicebatur. Tressel enim in Legibus Ordinis sumitur pro loco ubi thesaurus reponitur. Quodnam fuerit officium thesaurarii, ex ipso nomine patet. Non assentior igitur Hennebergero & Waisselio, qui dicunt Thesaurarium ex præscripto Trapiarij pecuniam publicam administrasse. Residebat thesaurarius semper in aula Magistri, ut eo facilius Magistro sumptus necessarios suppeditare posset. Vid. *H*enneb. & Waissel. ll. cc. Conf. & Consvetud. Ord. num. XIX. Cogebatur autem thesaurarius, ut & alij Officiarij, singulis mensibus rationes Redituum & Expensarum Magistro reddere. Quodsi Magistro commodum tempus non erat ad rationes audiendas, committebat hoc negotium Commendatori magno alijsque fratribus, quos Commendator sibi ad hoc negotium adjungere volebat. Consvetud. Ord. num. XXXIII.

XVI. Præceptores hos maiores sequebantur *COMMENDATORES*, qui triplicis erant Ordinis. Alij enim erant *Commendatores Provinciales*, (Land Commenthür) & sunt ferè ijdem cum illis, quos supra appellavimus Magistros Provinciales, ut non solum ex Legibus Ordinis, sed etiam ex Petro Dusburgio patet. fol. 8. ubi septem fratres Commendatores seu Præceptores provinciales enumerat, quos supra inter Magistros Provinciales enumeravimus. Præter dictos autem fuit etiam in Germania, ein Land-Compthur der Baley Elsaß und Burgund/ & Land-Compthur der Baley Coblenz. Vid. Adam. Pisezki à Kranichsfeld, de statu Seculari cap. XV. p. 421. & Speidel. l. c. In Prussia, quantum mihi observare licuit, unus tantummodò post Magistrum Provincialem, fuit Commendator Provincialis, nimirum *Commen-*

mendator terræ Culmensis (Land-Compthur im Culmischen Lande) qui Privilegium Culmense An. 1251. renovatum subscripsit, antè Marschalcum Ordinis aliosque Commendatores terræ Culmensis. Mentionem hujus Commendatoris facit etiam Dietericus ab Aldenburg in suis legibus, ubi eum sic describit: der an unser statt wird gelassen im Lande zu Culmen. in Codice *MS.* pag. 88. b. Alij erant *Commendatores* simpliciter ita dicti (Commenthur) quales fuere Culmensis, Thoruniensis, Elbingensis, Dantiscanus, Regiomontanus, Brandeburgensis, Balgensis, & alii plurimi. Munus horum Commendatorum erat, mandata Magistri generalis & Ordinis in suo districtu exequi, ut & Nobilitati ejus districtus cum judice terrestri districtus illius (Landrichter) qui fuit secularis Officiarius ex Nobilitate Prussica lectus, & cum Notario terrestri, jus dicere. Vid. Schuz lib. IV. fol. 168. b. Tandem fuerunt etiam *Commendatores castrorum*, sive *Præfecti* & *Provisores arcium*, item *Castellani*, ut in antiquis privilegijs appellantur (die Hauß-Compthur). Inter eos Commendatores primum videtur locum obtinuisse Commendator Starkenbergensis in Culmensi Provincia ad Ossam amnem. Hi Commendatores habebant curam castrorum sibi commissorum, assidebant quoque judicijs in quibusdam urbibus, cum judice Civitatis. Et quidem Dantisci, quod mirum est, locum Commendator Arcis à sinistro judicis latere habebat, quod postea Commendatores illi ægrè ferebant. Vid. Schüz. lib. VI. fol. 26-.a. Alibi etiam à Magistratu civico dabatur appellatio ad Commendatorem arcis, ut postea dicetur. Porrò Commendatores & Castellani habebant iterum suos Subcommendatores: an verò illud in omnibus Commendis obtinuerit, non liquet. Præterea

& hoc

& hoc notandum est, quod inter Commendatores simpliciter ita dictos habuerint locum suum, *Advocatus Provincialis Samlandiæ in Schaken* (Landvogt auff Samland zu Schacken) & *Advocatus Samlandiæ in Fischhausen* (Vogt auff Samland zu Fischhausen) ut patet ex subscriptione Privilegij cujusdam Regiomontanis à Conrado à Tierberg Magistro Provinciali An. 1286. concessi, ubi hic ordo in subscriptione observatur: Marschalcus Prussiæ, Commendator Regiomontanus, Commendator Brandeburgensis, Advocatus Samlandiæ (Vogt zu Samland) Commendator Ragnitensis, & alij, apud Joh. Freiberg in Chron. MS. Quanquam aliquando hæc Advocatorum Samlandiæ officia videantur fuisse sublata, administratione Samlandicæ Provinciæ Marschalco supremo commissâ, ut colligi potest ex Privilegio ab Henrico Plavenio Magistro generali An. 1413. Samlandis dato, ubi hæc habentur: Und würde iemand (ex Samlandis) zu Gebäuen bedürffen / der soll den Marschalck darumb zusprechen und bitten / oder einen Vogt / ob hernachmahls ein Vogt uff Samland gesetzt würde. Vid. Privileg. Pruss. p. 5. b. Commendatorum etiam titulo gaudebant alij Officiales, ut *Commendator minor* (der kleine Commendor) cui cura competebat rei domesticæ. Providebat enim omnibus castris eorumque defensoribus de vitæ necessarijs. Fungebatur etiam munere Ædilis. Reparatio enim arcium aliorumque ædificiorum publicorum ad Commendatorem minorem pertinebat. Vid. Consvet. Ord. num. XXXVII. Item *Commendator rei cibariæ* (Speiß-Commendor) qui ut Promus Condus fratribus cibum & potum dividebat. Erat autem sub directione Commendatoris magni. Consvetud. Ord. num. LVII. Reliqua officia

minora strictim tantummodò commemorabimus. Erat inter ea officium deß Schildknecht-Meisters, qui fratribus procurabat ephippia, frena, strigiles & alia. Singulis diebus Veneris Capitulum habebat cum militibus. Consvetud. Ord. num. XLI. Item erat inter Officiarios minores der Bruder vom Sattelhauß/ qui fratribus procurabat frena, aliaque lora. Consvetud. n. XLII. Item der Bruder von der kleinen Schmiede/ qui procurabat calcaria, stapedas & alia num. XLIII. Fuerunt inter eos etiam die Convents-Herren Pfleger/ Vögte/ Fischmeister/ Mühlmeister/ quæ tamen officia non suo ordine recensemus. Hoc certum est fuisse inter hæc officia, à quibus fratribus dabatur aditus ad summas dignitates. Nam Henricus à Richtenberg *ex Præfecto Piscatorum* (Fischmeister) factus est Hospitalarius supremus, & tandem Magister generalis. Henneb. in Chron. fol. 201. Waissel. pag. 246. Joannes à Tieffen antea fuit *Curator* (Pfleger) Schacensis, deinde factus Commendator Brandeburgensis, tandem ad summam Magistri generalis provectus est dignitatem. Nec prætereundum tandem est Officium ejus, qui dicebatur *socius Magistri* (deß Hoffmeisters Compan) Vid. Subscriptio Privilegij Samlandis, ab Henrico Plavenio dati. Inter Privileg. Prussica pag. 5.b. Officij hujus origo hæc esse perhibetur: Cum Wernerus ab Urselen Magister generalis esset interfectus, constituit Luderus Dux Brunsvicensis & Magister generalis in Capitulo, ut Magistro ejusmodi socius adjungeretur, qui à latere Magistri non recederet, sed responsa ejus nomine petentibus daret, & sic periculum à capite Magistri averteret. Henneb. in Chron. fol. 286. Waissel, p. 113. b.

XVII. Tandem fuerunt etiam alij Fratres Ordinis, qui

iterum

iterum variè dividebantur. Alij enim erant *Sacerdotes*, alij *non Sacerdotes*. Hi rursus erant aut *Equites* aut *Laici*. Concedebatur enim per Regulam Ordinis ut in Ordinem reciperentur etiam seculares, non solum cœlibes, sed etiam conjugati; Crux tamen tota in vestibus horum non exprimebatur. Vid. Reg. Ord. n. XXXII. Hinc etiam alibi Regula dicta distinguit inter Priester-Brüder / Pfaffen die nicht Priester sind / und Läyen. n. x. Agmen claudebant Novitij, quos à reliquis distingvebat vestis adhuc secularis. Vid. Reg. Ord. num. XXIX. p. 32. b. fin. Conf. & Schuz. lib. II. Chron. fol. 64. Deindè fratres Ordinis dividebantur in certos Conventus, quorum singulos constituebant duodecim fratres (secundùm numerum 12. Apostolorum) quibus præerat unus Commendator, ut dicitur in Regula Ord. num. XIII. Deinde Winricus à Kniprode XIX9. Magister generalis itidem constituisse dicitur, ut 12. Equites & 6. Sacerdotes Ordinis unum constituerent Conventum, singulisque Conventibus unus præesset Commendator. Henneb. in Chron. fol. 290. Addit his Waisselius, sub eodem Kniprodio 30. ejusmodi fuisse Conventus in Prussia numeratos. in Chron. p. 121. b. Ab initio instituti Ordinis 40. tantùm fuerunt fratres. Deindè Hermannus à Salza, qui primus Prussos gentiles oppugnare cœpit, id unicè exoptavit, ut tantum 10. fratres in prœlium contra hostes armare posset, sed postea numeravit in Ordine suo mille fratres, ut vult Henneb. in Chron. fol. 366. Sed Casp. Schuz fol. 16. & Waissel. in Chron. pag. 45. secuti Petr. Düsburgium & alium Anonymum ejusdem ferè cum Dusburgio ætatis Scriptorem, dicunt duo fuisse fratrum millia, videlicet in omnibus Provincijs Ordinis. Etenim cum Ordo in Prussia maximè floreret

geret sub Conrado à Jungingen, non fuerunt multò plures, quam mille fratres in Prussia numerati. Sic enim Waisselius: In diesen Zeiten / war der Orden in Preussen sehr mächtig / und alle Aempter waren wol besetzt. Erstlich war der Hohmeister / zu nechst ein Groß-Commenthur / darnach ein Landmarschalck / darnach drey Bischöffe / acht und zwanzig Commentors / sechs und vierzig Hauß-Commentors / ein und achtzig Spitahl-Herren / fünff und dreissig Convents-Herren / fünff und sechzig Kellermeister / sieben und dreyßig Pfleger / achzehen Vögte / neun und dreissig Fischmeister / drey und neunzig Mühlmeister / hundert und vierzehen alte kranck Creutzherren / sieben hundert gemeine Ritter-Brüder / hundert und zwey und sechzig Chor-Herren und Creutz-Priester / fünff und dreißig Thumherren / fünffund zwanzig Pfarrherren die das Creutz hatten / sechs tausent und zweyhundert Dienstknechte und Gesinde. Hæc Waissel. in Chron. p. 132. In hoc tamen indice nonnulla desiderantur, ut ex superioribus facilè apparet. Porrò neque hoc omittendum est, quod fratres hi sub Zölnero à Rotenstein circa An. 1391. noluerint amplius dici Creutz-Brüder sed Creutz-Herren. Henneb. fol. 293. Waissel. p. 126. Scilicet potentia ipsis nihil moderati svadebat. Hinc luxus, hinc varia flagitia, hinc Legum Ordinis contemptus & impotens in subditos dominium. Facilius hæc cognosceremus, si vera essent, quæ Casp. Schüzius de luxu horum fratrum refert. Eo enim jam rem processisse dicit, ut Conradus à Jungingen XXIIdus Magister lege coactus sit cavere, ne Equites Ordinis singuli plures quam decem, neque Commendatores singuli plures quam centum equos alerent, præter eos, quos ad agriculturam adhiberent. Schuz. lib. III. fol. 97

His

His tamen fidem derogant Statuta & Consvetudines Ordinis Teutonici, quæ longè minorem equorum numerum aliis Magistratibus majoribus, imò ipsi quoq; Magistro assignant. Vid. Consvetud. Ord. num. XLIV. & XLVII. Ut jam nihil dicam de Legibus Conradi à Jungingen in Codice Antiqvo MS. contentis, ubi nihil tale reperitur.

XVIII. Sed jam propius accedamus ad formam sacri hujus Regiminis in Prussia. Monarchiam hîc absolutam sub Ordine fuisse, asserere non possumus. Nam quamvis Magister generalis Regia potestate Prussiæ præfuisse videatur, neque tamen liber fuit ab imperio superioris, neque suis simpliciter imperavit. Quod prius concernit, notum est Magistrū generalem cum suo Ordine fuisse tum *Pontificis Romani* quoad Ecclesiastica, tum *Imperatoris Germanici* quoad civilia, imperio obnoxium. Quamvis Pontifex non rarò se etiam Politico regimini immiscuerit, adeò ut quidam Scriptorum nostrorum Pontifici imperium etiam Politicum tribuere videantur. Fatentur idem ipsi Cruciferi. Hi enim contra fœdus Polonicum excipientes, sese sui juris non esse asserunt, cum omnes Provinciæ & possessiones Ordinis immediatè Sanctæ Sedi sint subjectæ, apud Schuz lib. IX. fol. 408. b. Neque desunt exempla potestatis Pontificiæ hic in Prussia exercitæ. Ad regimen Ecclesiasticum pertinet illud, quod Episcopi injuriâ affecti ad Papam provocarint. De Winrico à Kniprode Vid. Waissel. p. 124. Deindè cum Hermannus à Grunbach Magister Provincialis duos Ordinis fratres comburi curasset, eò quod cum Prussis Veteribus contra Ordinem dira moliti essent, jussit Papa Magistrum generalem, ut Provincialem Magistrum removeret, Pœnitentiamque ipsi in duos annos injungeret, ut habet Joan. Frei-

F berg

berg in Chron. Pruſſ. fol. 27. ſub Poppone de Oſterna. Porrò cum Henricus à Richtenberg XXXmo Magiſter generalis Epiſcopum Sambienſem nomine Dietericum à Cuba in carcerem coniici & è medio tolli juſſiſſet, dicitur Sixtus IV. Papa Rom. in hæc prorupiſſe verba: *Deleatur peſſima illa nigra crux, maledictus enim Ordo, ubi Laicus regit ſuper Clerum.* Indè Magiſter coactus eſt coram Pontifice cauſam ſuam agere. Waiſſel. pag. 248. & 251. Regimen quoque Politicum ſibi arrogabant Pontifices. Pruſſiam enim Feudum Pontificis eſſe diſertis verbis aſſeruit Legatus Pontificius ſub Ludovico ab Erlichshauſen. Schuz, lib. IV. fol. 164. b. Quod autem Magiſter Pruſſiæ *Imperatori German.* fuerit obnoxius, vix dubitari poteſt. Cum An. 1335. ſub Dieterico ab Altenburg Magiſtro Pruſſiæ Ordini controverſiam moviſſet Legatus Pontificius de finibus Pruſſiæ, mandavit Ludovicus Imperator Magiſtro, ſub gravi pœna, ne minimam etiam portionem terræ, quam ab Imperio ut Feudum poſſidebat, alienaret, neque alium judicem hac in re ſe inſcio agnoſceret. Schuz lib. II. Chron. fol. 68. Varia deindè mandata Imperatoris ad Magiſtrum & Ordinem miſſa habentur Vid. Schuz. lib. III. fol. 127. a. 130, a. ſeq. lib. IX. fol. 410. Conceſſit etiam Imperator Magiſtro poteſtatem vectigalia imponendi. Schuz lib. IV. fol. 146. b. pr. Agnoverunt hoc imperium & ipſi Cruciferi. Vid. Schuz lib. IX. fol. 400. lib. X. fol. 458. lib. II. fol. 85. b. Quamvis verò Cruciferi ad judicium Imperatoris non rarò provocaverint, hoc tamen illis tantum temporibus facere ſolebant, quando ab hoſtibus in anguſtias redigebantur; aliàs Imperatoris authoritas hic fuit exigua. Ex eodem fonte fluxit, quod etiam Elbinga & Dantiſcum urbes fuerint non ſecus atque aliæ

Libe-

Liberæ Imperiales urbes ad Comitia vocatæ, non alia de causâ, quam ut hoc honore inescatæ imperio Polonico sese subtraherent Ordinique subjicerent. Factum hoc est sub Casimiro IV. Jagellonide Rege Poloniæ, postquam Prussi, ejecto Ordine Teutonico, in fidem Polonorum concessissent, ut & postea aliquoties; sed dictæ urbes nunquam comparuerunt. Vid. Schuz. lib. IV. fol. 402.

XIX. Et sic patet non absolutum hic in Prussia Cruciferorum fuisse Imperium, adeoque non obtinuisse aliquam hic Reipubl. simpliciter ita dictæ speciem, utpote quæ non patitur superiorem. Videndum tamen est, quænam huic Provinciæ aliquo modo adaptari possit forma. Licet enim ei in stricta significatione Reipubl. nomen non competit, competet tamen eidem in latiori aliqua significatione. Hoc verò cognoscemus, si modo consideraverimus, quam hîc inferiorum ratione Magister generalis habuerit potestatem. Hæc verò nimium quantum fuit limitata, non tantum respectu Ordinis sui, sed & respectu incolarum hujus Provinciæ. Quod enim primo loco *Magistros Provinciales* per Germaniã, & Livoniam aliasq; Provincias concernit, illi præterquam quod ad Electionem Magistri generalis admittebantur (de quo Vid. Consvetud. Ord. num. II. Schuz. lib. VIII. fol. 361. Waissel. pag. 172.) habebant insuper in causis gravioribus Prussiam concernentibus votum suum. Schuz. lib. IV. fol. 144 a. Conf. lib. VIII. fol. 362. b. Qua de causa etiam Magistri Provinciales aliquando in Prussiam veniebant, quando Capitulum generale habebatur. Schuz lib. IV. fol. 143. b. Privilegia quoque Prussica subscribebant. Vid. Schuz. l. IV. fol. 154. a. Et in Pactis Polonorum cum Ordine ratione Prussiæ initis expressè obligatur Magister & Ordo Teutoni-

 cus

cus in Pruſſia, ut Magiſtrum Provincialem per Germaniam eò adducant, quo & ipſe Pactis illis ſigillum ſuum appendat, apud Jan. Januſzovium lib. VII. Conſtit. Part. III. tit. 1. fol. 856. Deindè reſpectu Præceptorum Pruſſiæ rurſus non parum limitata fuit Magiſtri generalis poteſtas. Non poterat ille Magiſtrum Provincialem in Germania & Livonia conſtituere ſine conſenſu Ordinis. Eligebatur enim Magiſter Provincialis in Capitulo Ordinis. Conſvetud. Ord. num. XI. Waiſſel. p. 92. b. Epiſcopos etiam Warmienſes non eligebat Magiſter, ſed hæc poteſtas penes Capitulum Canonicorum ſemper fuit, ita ut etiam non denuntiatâ Magiſtro morte prioris Epiſcopi, potuerint Canonici alterum in defuncti locum ſufficere. Schuz. lib. VIII. fol. 374. b. Deindè *Præceptores* quinque Majores, ut & Caſtellanum Starkenbergenſem non niſi in Capitulo Ordinis eligere ſolebat Magiſter. Alia Officia minora poterat cum ſuis Conſiliarijs conferre fratribus. Vid. Conſvetud. Ordinis num XI. pag. 131. ſeq. Porrò Magiſter exteros Magiſtros Provinciales inviſens, ſi aliquem graviter delinquentem invenerat, potuit quidem cum Conſilio fratrum præſentium Magiſtrum illum removere, aliumque ſubſtituere, ita tamen, ut ad Capitulum reverſus novum illum Magiſtrum commendaret, ut aut confirmaretur, aut à Capitulo alius ſurrogaretur. Si verò Magiſter eam rem ad Capitulum deferre negligebat, poterat Capitulum etiam ſine conſenſu Magiſtri alium præficere. Conſvetud. num. XVII. Neque in poteſtate Magiſtri erat pro lubitu in unam vel alteram Provinciam excurrere, & Vicesgerentem pro lubitu relinquere, ſed ad hoc requirebatur Conſenſus fratrum. Conſvetud. Ord. num. XV. Imò ne fratrem quidem alium Magiſtro licebat in alias Provincias mittere ſine conſenſu Præceptorum Majorum aliorumque Fratrum. Ibid. num. XVIII.

Quid

Quid? quod ne ad privata quidem negotia expedienda fratrem peregrè abire volentem poterat Magister dimittere sine Consensu aliorum. Ibid. num. XVI. Porrò thesaurus non fuit in potestate unius Magistri. Ad thesaurum enim unam clavem habebat Magister, alteram Magnus Commendator, tertiam Thesaurarius, adeò ut unus eorum sine cæteris duobus thesaurum aperire non posset. Administratio itaq; thesauri erat penes Magistrum, Præceptores quinque superiores, Commendatorem minorem, unum Sacerdotem, unum fratrem non Equitem, aliosque quos Magister sibi adjungere volebat ad hoc negotium. Ibid. num. XII. Hæc & alia Vid. in Consvetud. Ord. à Num. X. ad XX. Tandem in omnibus constitutionibus requirebatur Consensus Episcoporum Prussicorum. Schuz lib. V. fol. 191. b. Nec non aliorum Commendatorum. Vid. Leges Ludovici ab Erlichshausen in antiquo Codice MS. pag. 114. b. Et ob hanc etiam rationem ab ipso Magistro vocabantur, *Præceptores* (Gebietiger) imò etiam *Compræceptores* (Mitgebietiger) Imò tanta fuit Præceptorum illorum potestas ut etiam potuerint Magistrũ generalem dignitate suâ privare. Constituit enim Gotofred. C. ab Hohenloh Magister XImus in Capitulo Venetijs habito, ut si Magister à Capitulo citaretur, neque ad tertiam citationem compareret, dignitate privaretur. Vid. Leges hæ in Cod. MS. pag. 78. b. Contigit id Ludolpho König/ Henrico Reussio à Plauen, Sternbergio & Paulo Bellizero Magistris, qui omnes ab officio remoti sunt. Vid. Waissel. pag. 141. & 145. & alij. Nihil itaque fermè Magister statuere potuit sine Capitulo. Habebatur autem Capitulum singulis annis loco commodo mense septembri in Festo Exaltationis S. Crucis. Ubi etiam omnes *Præceptores* Maiores quià Magistro & Capitulo dignitatem suam acceperant, officia

sua

sua resignabant, illa denuo à Magistro & Capitulo recepturi. Idem faciebant & alij Magistratus minores post Capitulũ habitum coram Magistro & alijs, quos Magister sibi adjungebat. Consvetud. Ord. num. XXI. In Consultationibus Capituli pluralitas votorum obtinebat. Si verò prorsus inter se discordarent, tum judicio Magistri acquiescere jussi sunt fratres. in Regula num. XXVII.

XX. Tandem si *incolas Prussiæ* consideremus, neque illorum respectu absoluta fuit Magîstri potestas. Statim enim à primo Cruciferorum in Prussiam ingressu varia Privilegia fuerunt Prussis concessa, quibus potestas Magistri & Ordinis jam limitabatur. Idque factum est eo fine, ut illâ libertate allecti Veteres Prussi jugo Cruciferorum humeros sponte subjicerent, religionemque Christianam susciperent, deindè etiam, ut Germani eò frequentiores in Prussiam commigrarent, eamque diligentius excolerent. Inter illa Privilegia maximum est *Privilegium Culmense* ab Hermanno à Salza Magistro generali, & Henrico à Balke Magistro Prussiæ Provinciali, Incolis An. 1233. concessum. In eo namque, ut alia præteream, Prussis immunitas ab omnibus vectigalibus concessa est. Renovavit illud Privilegium, An. 1251. Eberhardus de Seyne Præceptor domus S. Mariæ Teutonicorum per Alemmanniam & Vicesgerens Magistri generalis per Livoniam & Prussiam. Vid. Privileg. Pruss. fol. 1. seqq. Alia multa privilegia incolis tùm fuisse concessa, non est, quod dubitemus. Cum verò, crescente Ordinis insolentiâ, Privilegijs quoque Prussicis derogare Cruciferi coepissent, multæ fuerunt turbæ excitatæ, donec tandem An. 1414. primò constitutum est sub *Michaele Küchmeistero à Sternberg*, ne Magister cum Præceptoribus haberet potestatem statuendi quidvis pro lubitu, sed ut in gravioris momen-

ti rebus *Consiliarios* sibi adjungeret, quatuor fratres Ordinis, decem præcipuos ex Nobilitate, & ex Dantiscana, Thorunienſi, Elbingenſi, Regiomontana & Culmenſi urbibus binos Senatores, sine quibus nihil in juribus Majestatis exercendis susciperet, ut habetur apud Schuz lib.III.Chron.Pruſſ. fol. 108. b. Henneberg fol. 303. Waiſſel. pag. 140. b. Sub *Paulo Bellizero à Rusdorff* Successore Sternbergij constitutum est à Magistro, Prælatis, Nobilitate & Civitatibus Anno 1430. Elbingæ, ut *Consilium Prussicum* constituerent, Magister generalis, sex Præceptores sive Commendatores, sex Prælati, Sex Provinciales (die von Landen) sex civitatenses (die von Städten) sine quibus nihil graviorum negotiorum belli pacisque tempore susciperetur. Hi autem Assessores ut eligerentur à Magistro & Statibus Prussiæ. Conventus horum Consiliariorum ut quotannis commodo loco & tempore ageretur. Schuz. lib. III. Chron. fol. 117. seq. Porrò An. 1433. idem Paulus Bellizer à Rusdorff elegit sibi in *Consiliarios suos intimos* præter fratres Ordinis, etiam quatuor ex Nobilitate Prussica. Postulavit etiam ut quidam in eundem secretiorem Senatum ex Urbibus sibi concederentur, quod tamen Urbes recusarunt. Eâ tamen conditione illi Consiliarij ex Nobilitate fuerunt admissi, ne quid in gravioribus negotijs, ut in bellis, fœderibus &c. decernerent sine consensu omnium Statuum. Schuz. lib. III. fol. 119. b. Ex eo quoque tempore bella suscepta, ut & fœdera Magistri cum exteris Principibus sine Consensu omnium statuum pacta, irrita fuere pronunciata. Vid. Privileg Pruſſ. fol. 16. b. fin. Schuz lib. IV. fol. 136. lib. V. f. 185. pr. & 188. b. Abdicationes quoque Magistrorum aliorumque Ordinis membrorum sine omnium Statuum consensu fieri non potuerunt. Schuz. lib. V. f. 185.

XXI.

XXI. Ex dictis jam patet, quæ libertas Prussis fuerit illis temporibus ab Ordine Teutonico concessa. Sed & majores fuisse Prussis immunitates concessas, colligere licet ex illorum temporum Historia. Nam quædam etiam, quæ aliàs ad *Majestatis jura* referuntur, illis competijsse dicuntur. Primò enim licitum fuit Nobilitati & Civitatibus peculiares *conventus agere*, licet consensus Magistri non accesserit, quod etiam sibi concedi postulabant Status Prussiæ Regiæ, postquam se Regibus Poloniæ subjecissent. Vid. Schuz. lib. IV. fol. 136. b. & lib. VIII. in pr. Huic tamen & antea opposuerunt se Cruciferi, nullatenus ipsis hoc de jure competere dicentes. Vid. Schuz. lib. IV. f. 136. & 177. Deindè Status Prussiæ sub Ordine Teut. potuerunt inter se *Collectas* in Conventibus à se institutis sine Consensu Magistri & Ordinis exigere. Schuz. lib. IV. fol. 179. b. Cui consvetudini itidem contradixerunt Cruciferi. Porrò *in jure judiciorum exercendorum* magna itidem fuit Prussorum libertas. Dicitur quidem Henricus sive Winricus à Kniprode instituisse Mariæburgi Consistorium quoddam, quod constabat ex aliquot JCTIS. Hi causas Sacras & Civiles eò devolutas iudicabant, sed quousque se horum jurisdictio extenderit, divinare non possum. Vid. Schuz lib. II. Chron. fol. 73. b. Aliàs sic sese judicia in Prussia habuisse legimus. Usi sunt Prussi jure municipali quod *Culmense* vocatur. (Solæ *Elbingensis*, *Brunsbergensis* & *Fraumburgensis* civitates *Lubecense* amplexæ sunt, vel secum fortasse attulere, adeoque hi peculiare aliquid habuerunt. Vid. Cromer. l. 2. Descript. Pol. p. 216. & 228.) Quando causa non potuit in urbibus decidi, appellationes instituebantur ad judicium *Culmense* (an den Schöppen-Stuhl zu Culm) ubi controversiæ finiebantur sine ulteriori appellatione ad judicem superiorem. Postquam verò

Cul-

Culma varijs hostium irruptionibus fermè fuit diruta, judicium quoque illud dissipatum, mansit judicium supremum in singulis Civitatibus sine ulla Provocatione; tandē verò Appellationes fuerunt concessæ ad commune *judicium Statuum Prussiæ*. Schuz lib. IX. fol. 443. *Judicium* illud *generale*, cujus modo mentionem fecimus, institutum fuit ab ipso Magistro, Episcopis, Prælatis & alijs Ordinis Teutonici membris, antequam Prussi fœdus contra injurias Commendatorum pepigissent. Leges dicti judicij fuerunt, ut quotannis commodo loco & tempore celebraretur: Assessores ejus essent sedecim, nempè quatuor ex Ordine, quatuor ex Prælatis, quatuor ex Nobilitate, & quatuor ex Urbibus. Vid. Schuz. lib. IV. f. 142. a. & lib. V. f. 186. b. seq. Huic judicio deindè Cruciferi constanter contradixerunt, præsertim cum ab ipso et am Magistro ausi essent quidam ad illud appellare. Schuz. l. c. Quando verò Fratrib9 à Statib9 Prussiæ objiciebatur, illud judicium ab ipso Magistro & ejus Præceptorib9 esse institutum; respondebant, illud factum esse casu necessitatis urgente, ut hoc modo Nobilitas & Civitates placarentur & ad obsequium Ordinis revocarentur. Schuz. lib. V. fol. 192. & 444. Hâc libertate suâ freti Prussorum Legati, ausi sunt coram Imperatore, cum tempore Ludovici ab Erlichshausen causam in judicio Cæsaris agerent, palàm dicere, se minus esse obligatos Ordini Teutonico, quam Principes Imperij Germanici suo Imperatori Casp. Schuz. lib. V. Chron. Pruss. fol. 190. Et hæc fuit Regiminis Prussici facies à primo Ordinis Teutonici in Prussiam ingressu, usque ad Ludovicum ab Erlichshausen XXVIII. Magistrum Prussiæ generalem, sub quo post bellum 13. annos gestum dimidia Pars Prussiæ An. 1466. Regibus Poloniæ cessit. Ab ipsis

itaque Ordinis Teutonici in Prussia primordijs obtinuit Respublica ex Monarchia & Aristocratia mixta. Tum enim temporis Magister cum Præceptoribus suis Rempublicam administrabat; cum autem graviores causæ erant decidendæ, Capitulum generale habebatur. Deindè sub Michaele Sternbergio & Paulo Belizero non modò magis cœpit imperium Prussicum ex Regno & Aristocratia misceri, cum & Nobilitati Prussicæ datus esset locus in Consilio Magistri, sed admisceri quoque cœpit Politia, cum & Ordo civicus votum in Consilio Provinciali accepisset, ut ex supra dictis manifestum est.

XXII. Sed postquam Prussia sub Ludovico ab Erlichshausen XXVIII. Magistro Prussiæ ad Regem Poloniæ Casimirum IV. Jagellonidem An. 1453. defecisset, mutata est prorsus rerum facies in eâ parte, quam recuperare non potuerunt Cruciferi. Statim enim An. 1454. cum Consilio Prælatorum, Consiliariorum & Civitatum majorum Prussiæ, ex Nobilitate Prussica constitutus est à Rege *generalis Prussiæ Gubernator* Johannes à Baysen, qui nomine Regio Prussiæ præesset. Adjuncti ipsi fuerunt more Polonico quatuor *Palatini*: Culmensis, Regiomontanus, Elbingensis & Pomerelliæ. Schuz lib. V. fol. 203. pr. Palatinis additi fuerunt tres *Castellani* Culmensis, Elbingensis & Gedanensis. Cromerus lib. XXVII. pr. Neugeb. lib. VI. pag. 387. Septem itaque vota habuit Nobilitas Prussica in Senatu, septemque alia Civitates. Sed cum Regiomontum durante bello ad Ordinem redijsset, imminuta fuerunt vota. Schuz lib. V. fol. 206 Introducti etiam sunt insuper loco Commendarum varij Capitaneatus, quorum præcipuos obtinuerunt ipsi Palatini. Hæc fuit regiminis forma, in ea parte Prussiæ, quæ Regi e-

rat ſubjecta bello durante; Cum verò An. 1466. pax inter Regem Poloniæ Caſimirum & Ludovicum ab Erlichshauſen inita, & Pruſſia in duas partes diviſa eſſet, ſubſtitutus eſt Regiomontano Palatinatui in Pruſsia Regia Palatinatus Mariæburgenſis, cui Joannes à Bayſen abdicato Gubernatoris generalis titulo, præfectus eſt. Schuz lib. VII. fol. 333. Poſthæc An. 1468. cum Rex Caſimirus ipſe in Pruſsiam veniſſet, addidit Senatui Pruſsico tres *Succamerarios*, quos Poloni limitum judices appellant. Conſtituit etiam in ſingulis diſtrictibus more Polonico *judicia terreſtria*, in quibus cauſæ Nobilium diſceptarentur. Schuz. fol. 336. In his judicijs terreſtribus octo Scabini ſive Aſſeſſores poſſeſsionati, Nobiles, Indigenæ judicare juſsi ſunt cauſas eò delatas: In Palatinatu verò Culmenſi ex Conſulari etiam Ordine Civitatis Thorunienſis duo Aſſeſsores electi ſunt, in numerum illorum octo Scabinorum referendi, quod etiam, ut & impoſterum fiat, cautum eſt in Jure Terreſtri Nobilitatis in Pruſsia Regia degentis, An. 1598. correcto. Vid. Jus illud correctum tit. V. §. 21. Acceſſerunt deindè Senatui Pruſsico in parte Regia *duo Epiſcopi*, Warmienſis & Culmenſis. Et quidem Culmenſis per publica Pacta An. 1466. Subjectus eſt Archiepiſcopo Gneſnenſi ut Metropolitano ſuo. Vid. Januſzov. lib. VII. Conſt. Part. III. tit. 1. fol. 874. Et Privileg. Pruſſ. fol. 23.b. Warmienſis autem ne nunc quidem agnoſcit Metropolitanum, ſed immediatè ſubeſt Pontifici Romano. Hos Epiſcopos, Palatinos, Caſtellanos & Civitatum Deputatos voluit Rex ſtatim conjungere cum Senatu Regni Poloniæ, ita ut Conſiliarij Polonici, Lithvanici & Pruſſici unum conſtituerent Regni Polonici Senatum, ſed, ut de Lithvanis modò nihil dicam, nulla ratione adduci potuerunt, ut in hoc con-

sentirent, sed semper Regi occinebant, sese habere Privilegia peculiaria, consvetudines etiam peculiares, neque posse in id consentire, ut cum Senatu Polonico sese conjungant, vel cum Polonico regno unam constituant Rempubl. Quare semper à Rege contendebant, ut Rex de salute Prussiæ consultaturus in Prussiam ipse veniret, ibique cum Senatu Prussico consilia conferret: abiturus verò in Poloniam, ut Gubernatorem Prussiæ ex Indigenis constitueret. Schuz. lib. VIII. f. 346. More itaque antiquo Senatores Prussici conventus suos instituebant, etiam inscio Rege, quod tamen semper fuit à Senatu Regio, ut & Episcopo Warmiensi improbatum. Vid. Schuz. lib. IX. f. 420. b. 421. 448. 476. b. Contributiones, si quæ in Polonia sciscebantur, Prussi se non teneri aliorum decretis causati, suaque privilegia obtendentes, nihil ad extraordinarias contributiones conferre volebant. Schuz lib. VIII. f. 372. b. fin. seq. & f. 381. a. fin. Sensim tamen eò fuerunt adducti ut Senatum Regni Pol. ingrederentur. Primus ex Prussicis Senatoribus, qui in Polonico Senatu locum cepit est Episcopus Warmiensis, quem secuti sunt alij, forsan sub Sigismundo Augusto, ut colligitur ex Schuz. l. IX. fol. 421. Januszov. lib. 7 Constit. Part. 7. t. 1. f. 1008 Cromer. lib. 2. Descript. Polon. p. 221. seq. Circa judicia & Appellationes etiam sua jura prætendebant Prussi, neque Appellationes ad aulam Regiam admittere volebant. Tandem An. 1521. admittere easdem coacti sunt, exceptis caussis criminalibus alijsque specialioribus casibus. Vid. Schuz. lib. X. fol. 479. Salomon Neugebauer. lib. VII. Hist. Polon. pag. 496. Suscipiebat autem Aula Regis Appellationes ex Prussia usque ad tempora Sigismundi III. ut patet ex Jan Januszov. lib. VII. Constitut. Part. III. tit. 3. fol. 934. ubi Rex

Stephanus jubet, ut causæ Prussicæ non à Tribunali recens instituto, sed ab ipso Rege judicentur. Sed sub Sigismundo III. An. 1589. cœperunt causæ Prussicæ ad Tribunal Petricoviense trahi, ad quod Prussi etiam suos Deputatos mittere jussi sunt. Joan. Januszov. l. c. tit. IV. Sed manum de tabula. Recentiora enim tempora hic attingere nobis non proposuimus.

XXIII. Sed & in ea *Prussiæ* parte, quam Ordo Teutonicus retinuit, plurima sunt mutata. Quod enim Ordinis Magistrum attinet, ille post bellum tredecim annos gestum his conditionibus cum Rege *Poloniæ* Casimiro Jagellonide Ann. 1466. pacem fecit: *ut partem Prussiæ Magister Ordinis & Cruciferi sibi haberent, eâ lege ut semper sint in fide & clientela Regum Polonorum, idq; solenni jurejurando quicunque Magister Ordinis deinceps unquam creatus esset, intra sextum mensem per se ipse ad Regem veniens profiteretur: servaturus omnia quæ tunc convenissent, neq; ulla tergiversatione & relaxatione cujusquam sive absolutione à jurejurando ne ultro quidem oblatâ usurus, essetq; is Princeps & Senator Regni & ad lævam Regis primum in Consiliis locum ac Consessibus publicis haberet: Primarii quoq; Commendatores quos Magister ederet, ut & ipsi Consiliarii Regis essent.. Ne cujusquam Cruciferi præterquam Regis majestatem & jurisdictionem (salvâ Pontificis Ecclesiasticâ jurisdictione) agnoscerent. Et verò contra quemvis hostem adessent, nec eum in adversis juxta ac prosperis desererent.* Vid. Neugeb. lib. VI. Hist. *Polon.* pag. 385. *Privileg.* Pruss. fol. 21 seqq. In Ordinem Magister Generalis eandem potestatem, quam antea habuerat, retinuit, illo tantum excepto, quod per eadem Pacta *Polonis, ut & aliis regiæ ditionis hominibus*

 bus

bus ad professionem Ordinis pateret aditus, dummodò ꝗ dimidia parte non excederent Germanos, eorumq́; etiam in Magistratibus & curationibus mandandis ratio haberetur. Commendatoribus etiam potestas fuit adempta Magistrum pro lubitu removendi. Vid. Neugeb. Januszov. & Privileg. Prussica ll.cc. Aliàs Officia Ordinis eadem manserunt, nisi quod Hospitalarius Supremus & Trapiarius alias sedes, quam quas antea habebant, accipere coacti sint. Deindè à Friderico Duce Saxon. penultimo Ordinis Magistro Commendæ Brandeburgensis & Balgensis fuerunt abrogatæ, substitutis tantum loco Commendatorum Advocatis; idque eô fine factum est, ut reditus ex duabus his Commendis Aulæ Magistri sustentandæ cederent. Thom. Waissel. pag. 260. b. Reliqui Prussiæ incolæ post ea tempora in quibusdam majoribus aucti sunt ab Ordine Privilegijs, in quibusdam etiam libertas ipsorum fuit imminuta. Conventus sine scitu Magistri ipsis agere prohibitum. Collectas inter se, pacatis jam rebus, exigere nulla exigebat necessitas. Quæ fuerit judiciorum ratio jam antea dictum est. Quamvis Regiomonti appellatio fuerit concessa ad Commendatorem Arcis Regiomontanæ, ut & ad Commendatorem magnum & tandem ad ipsum Magistrum generalem, ut apparet ex Chronico Joannis Freybergij MS. ad An. 1420. fol. 107. Post divisionem autem Prussiæ Supremum Tribunal Culmense (das Gericht des Ober-Colms) fuit translatum Regiomontum, illudq; jus Senatui Palæopolitano fuit ad tempus donatum, donec Cruciferi, ut sperabant, reliquam *Prussiæ* partem Regi *Poloniæ* subjectam recuperarent. Appellationes itaque in causis Civilibus ad Senatum *Palæopolitanum* ex oppidis *Prussiæ* Ordini subjectis instituebantur. Sed hoc judicium deindè vide-

delicet An. 1517. fuit in Aulam translatum sub D. Alberto ultimo Ordinis Teutonici Magistro. Vid. Johan. Freiberg. in Chron. fol. 285. & 286. pr. Quod Gubernatores Prussiæ in absentia Magistrorum concernit, de illis sequentia notamus in Scriptoribus nostris. Cum Albertus Marchio Brandeb. inconsultis Prussiæ Ordinibus in Germaniam abiisset, constituit Gubernatores *Ericum Ducem Brunsvicensem, Iobum Episcopum Risenburgensem cum aliis Senioribus ex Ordine Teutonico.* His videntur Ordines Prussiæ contradixisse, donec tandem Alberto promiserunt, quoscunq; ille Gubernatores & Provinciæ Regentes constituturus esset, illis se obedientiam præstituros. Indè Albertus ad Regem Poloniæ proficiscens Regentes constituit *Episcopum Sambiensem, Ericum Ducem Brunsvicensem, Marchionem Wilhelmum fratrem suum, Sunnonem à Drahe magnum Commendatorem,* Alio adhuc tempore abiens Regentes constituit *Episcopum Sambiensem, Commendatorem Magnum, Georgium Truchsessium & Thalheimium Commendatoris arcis Regiomontanæ Vicesgerentem,* ut & tres *Consules Regiomontanos,* nec non quosdam ex *Scabinis & plebe.* Sed electi ex Ordine Civico Regentes nunquam ad Consilium fuere vocati. Tandem cum Albertus quatuordecim annos in Germania abesset, Gubernatores fuere constituti *Episcopus Sambiensis, Commendator Arcis* aliique. Quæ omnia habet Johannes Freiberg in Chron. fol. 288. b. 328. 348. 374. Ex quibus iterum apparet Rempubl. Prussicam post divisionem etiam fuisse ex Statu Regio, Aristocratico & Populari mixtam.

XXIV. Quamvis verò Pax inter Regem Poloniæ Casimirum & Ludovicum Erlichshusium Magistrum Ordinis

An.

An. 1466. constituta esset, malè tamen hoc habebat Magistros subsequentes, qui omnibus nervis contendebant, ut jugo Polonico excusso reliquam Prussiæ partem recuperarent, Hinc factum est, quod Henricus Plavenius & Martinus Truchsessius nonnisi necessitate adacti præstiterint Regi juramentum. Et ut eò facilius Polonico imperio sese subtrahere posset Martinus Truchsessius, dedit se propterea in clientelam Regi Hungariæ. Ex eâdem ratione Ordo sibi in Magistrum elegit Fridericum Saxoniæ Ducem, ut domum Saxonicam sibi devinciret, promptioremqve redderet, ad auxilia sibi contra Polonos mittenda. Hic Fridericus etiam nunquam Regi Poloniæ juramento se obstrinxit. Illo deindè è vivis sublato suffectus est Albertus Marchio Brandeburg. qui in Magistrum Ordinis Teutonici electus omnibus viribus Poloniæ Regibus sese opposuit. Quapropter, ne nervus rerum gerendarum deficeret, acceptâ à Walthero Plettenbergio Magistro Provinciali Livoniæ certâ pecuniæ summâ, quam in bellum Polonicum impenderet, Magistrum illum An. 1513. planè liberavit. A quo tempore Magister Livonicus immediatè Imperatori subiectus, factus est Imperii Princeps. Dav. Chytræus in Saxon. Sed frustra hæc molimina fuerunt omnia. Gestum est bellum, eo tandem eventu, ut Albertus Marchio, Comite Eisenburgio rem infeliciter ad Dantiscum & Elbingam gerente, tandem speratis frustratus auxiliis. Anno 1525. his conditionibus cum Rege Sigismundo I. transigeret; *ut Albertus Prussiæ partem Orientalem*, quam nunc Ducalem appellamus, *jure hæreditario, (positis Ordinis insignibus, habitu & nomine) titulo Ducis secularis obtineret, sed Regio Imperio ut Vasallus, simul cum Provincia subesset, eosdem cum Polonis amicos hostesq;*

dein-

deinceps haberet, centum Equites Regi contra hostes in auxilium mitteret, primum in Senatu Regio in Consilijs, Terrarum Comitijs, & publicis conventibus locum obtineret: Si Rex Ducem, aut contra, Dux Regem convenire vellet in causis ipsorum personam concernentibus, tum Rex Consiliarios quosdam Mariaburgum aut Elbingam missos juramento quo Regi adstringuntur, absolveret & alio juramento ad justè judicandum obstringeret eorumq́; judicio utraq́; pars acquiesceret: Si verò quis ex Subditis Ducis actionem Duci intendere vellet, ut Consiliarij Regis & Ducis pari numero convenirent, remq́; juramento ut priores illi obstricti, dijudicarent: Si tandem extraneus aliquis contra Ducem actionem instituere vellet, ut hoc faceret in judicio Ducali, ita tamen ut provocatio concederetur ad Consiliarios Regis Mariaburgum à Rege propterea mittendos. Nulla telonea nova vel alia gravamina contra antiquam consuetudinem in Prussia instituerentur &c. &c. Vid. Jan, Janusz. lib. VII. Constit. Part. III. tit. 1, fol. 913. seqq. Et Privileg. Pruss. fol. 34. seqq.

ANtiquos Patriæ fasces, veteresque Regentes,
Et magnæ Heliadum numina prima domus,
Rippi, noster amor, contractis mortibus ævi
Eximis, atque novâ luce nitere jubes.
Nil his ruderibus, nihil illis gratius umbris;
Quin & tutius est, crede, vetusta loqui.
Nec cassus labor iste tibi; dum Sceptra Parentis
Narras, fis Spartæ Prologus ipse tuæ.

Sc. gratulab.
M. J. Rölingius, PP.
& Elect. Al. Insp. pr.

NEscio quæ miseras capiat dementia mentes,
Illa quibus tantum quæ peregrina placent
Mirantur multi Trojam, gentemque Togatam,
Mirantur Grajos Niliacosque Patres.
Quæque dedit Natale solum, contemnere mos est,
Sunt multis cassâ vix ea digna nuce.
Tu Patrios, Rippi, gaudes evolvere fastos
Atque cupis Patrij res celebrare soli.
Applaudo; sic namque tuo præludis honori,
Quem tibi pro meritis Patria grata parat.

PRÆSES.

TUrpe est Patritio patrias non noscere Leges: †
Noscere SE, *PATRIAM RIPPIVS* hisce probat
Magna patent, majora latent, ast summa sequentur;
Noscet TE Mundus, Fama Virumque canet.

† *L. 2. §. 43. D. de Orig. Jur.*

Amico suavissimo lmq; applaudit
JOH. ALBERTUS à Kreytzen.

QVæ fuerit quondam Prussorum forma regendi
RIPPIUS exactè discutit historicè.
NOS nova forma beat MAGNI sub PRINCIPIS umbra
Unius Imperium Patria nostra tenet.
Hâc primum *P*opuli Reges curare salutem.
Hâc pariter floret, publica nostra Salus.
Pergito sic *RIPPI*, methodum speculare regendi,
Ut tandem prosis, & patriæ atque Tuis.

Ita Generoso Dno. Respondenti gratulatur
HENRICUS à Wallenrodt.



Christophorus Wolfgangus.

C. D.
dissertatio historica
de
Originibus Prussicis, quam
consentientibus superioribus praeside
M. Christophoro Hartknoch prusso.
Regiomonti.
Typis Friderici Reusneri, Ser. Elect. Brand.
1674.
8° 1k.n. – A–A3 – H. Bz. numeracji

Broszura

Christophorus Wolfgangus.

C. D.
dissertatio historica
de
Originibus Prussicis, quam
consentientibus superioribus praeside
M. Christophoro Hartknoch prusso.
Regiomonti.
Typis Friderici Reusneri, ser. Elect. Brand.
1674.
8°. 1k.n. – A–A_3–H. | Bz numeracji

Broszura